EDITIONES TEUBNERIANAE.

M. A. PLAUTI

CAPTIVI.

EMENDAVIT

FRIDERICUS LINDEMANNUS.

CHARTA IMPRESSORIA.

Verzeichniss

der in meinem Verlage erschienenen Schulausgaben

Griechischer u. Römischer Classiker.

Diese Sammlung Griechischer und Römischer Schriftsteller, welche bis jetzt die Zahl von 55 Bänden erreicht hat, ist von stimmfähigen Beurtheilern unbedingt als die in ihrer Bearbeitung gediegenste, in ihrer Ausstattung geschmackvollste und als die ihrem Zwecke unter den zahlreichen Sammlungen ihrer Art am würdigsten entsprechende charakterisirt worden. Ihr Losungswort ist stetes Fortschreiten nach den Ansprüchen der Zeit und Wissenschaft, denen die dankenswerthen Forschungen der unten genannten Gelehrten ebenso ihrer Seits erfolgreich zu genügen suchen, wie es der Thätigkeit des Verlegers hauptsächlichste Sorge ist, durch Bestrebungen der Kunst in äusserer Ausstattung jene wissenschaftlichen Leistungen zu ehren. Es ist kein Wink wohlwollender Rathgeber unbeachtet geblieben, den Nutzen und die Brauchbarkeit dieser Sammlung zu erhöhen; und so ist namentlich dem vielfachen Wunsche geehrter Schulmänner zu genügen angefangen worden,

die von jetzt an hinzutretenden Ausgaben mit grösserer Schrift und in einem deshalb erforderlichen grössern Formate gedruckt ohne besondere Preiserhöhung erscheinen zu lassen.

In diesem den Freunden des Schönen gewiss willkommenen Gewande treten zuerst die Bearbeitungen des *Quintilian* von Gernhard und der *Captivi* des *Plautus* von Lindemann auf. Alle spätern Bände und jede neue Auflage der frühern werden sich dieser Serie in gleicher Art anreihen.

Die bisher erschienenen Bände und einige zunächst erscheinende haben folgende Bearbeiter:

Hrn. *Bach*, Director des Gymnas. in Schaafhausen.
— Dr. *Baumgarten-Crusius*, Conrector an der Kreuzschule zu Dresden.
— Dr. *Beier*, Prof. in Leipzig.
— Dr. *Daehne*, Prorector an der Stiftsschule in Zeitz.
— *Ludw. Dindorf* ⎫
— *W. Dindorf*, Prof. ⎭ in Leipz.
— Dr. *Forbiger*, Privatdocent an der Universität und Lehrer an der Nicolaischule in Leipzig.
— Dr. *Franke*, zweiten Conrector am Gymn. in Rinteln.
— Dr. *Gernhard*, Consistorialrath und Director des Gymnas. in Weimar.
— Dr. und Prof. *Graefe*, kaiserl. Russ. Staatsrath und Ritter in St. Petersburg.
— Dr. *Haenisch*, Director des Gymnas. in Ratibor.
— Dr. *Hoffmann*, Adjunct an der Landesschule in Grimma.
— Dr. *Jacob*, Professor in Posen.
— Dr. *Jahn*, Privatdocent an der Universität zu Leipzig (Herausgeber d. Jahrb. f. Phil. u. Pädag.)
— Dr. *Käuffer*, Professor an der Landesschule in Grimma.
— Dr. *Kiessling*, Professor und Rector an d. Stiftsschule in Zeitz.

Hrn. Dr. *Lindemann*, Rector des Gymnas. in Zittau.
— Dr. *Matthiae*, Kirchenrath und Director des Gymnas. in Altenburg.
— Dr. *Mehlhorn*, Oberlehrer am Gymnas. in Glogau.
— Dr. *Meineke*, Director des Joachimsth. Gymnas. in Berlin.
— Dr. *Passow*, Professor in Breslau.
— Dr. *Passow*, Professor am Joachimsthal. Gymn. in Berlin.
— Dr. *Pinzger*, Prorector am Gymnas. in Ratibor.
— Dr. *Reinhardt*, Rector der Schule in Saalfeld.
— Dr. *Sauppe*, Subrector am Gymnas. in Torgau.
— Dr. *Schäfer*, Prof. in Leipz.
— Dr. *Schneider*, Professor in Breslau.
— Dr. *Schulz*, Consistorialrath und Professor in Breslau.
— Dr. *Sillig*, Lehrer an der Kreuzschule in Dresden.
— Dr. *Spitzner*, Director des Gymnas. in Wittenberg.
— Dr. *Weber*, Professor am Gymnas. in Weimar.
— Dr. *Weichert*, ersten Professor und Rector an der Landesschule in Grimma.

A. Griechische Autoren.

Aeschinis Orationes. Cum brevi annotatione critica edidit *Guil. Dindorfius.* 1824. Charta impr. 10 gr. Charta angl. 16 gr.

Aeschyli Tragoediae. Ex recensione Ricardi Porsoni passim reficta a *Guil. Dindorfio.* 1827. Charta impr. 18 gr. Charta angl. 1 thlr. 6 gr.

Anthologia lyrica poetarum Graecorum, Anacreontis et aliorum selecta carmina continens. Recognovit et notis crit. instruxit *Fried. Mehlhorn.* 1827. Charta impr. 10 gr. Charta angl. 16. gr.

Aristophanis Comoediae. Ad optimorum librorum fidem cum brevi annotatione critica edidit *Guil. Dindorfius.* II Vol. 1825. Charta impr. 2 thlr. Charta angl. 3 thlr.

Apparatus criticus ad Aristophanem. Digessit et lectione codicum ab *I. Bekkero* novissime collatorum auxit *Carolus Passow.* Vol. III. Adnotatio critica in Aristophanis Nubes. 1828. Charta impr. 10. gr. Charta angl. 16 gr.

Corpus scriptorum eroticorum Graecorum. Edidit *Franc. Passow.* Vol. I. *Parthenii erotica.* Accesserunt *Antonii Diogenis* et *Iamblichi* excerpta. 1824. Charta impr. 8. gr. Charta angl. 14. gr.

Demosthenis Orationes. Edidit *Guil. Dindorfius.* III Voll. 1825. Charta impr. 2 thlr. 20 gr. Charta angl. 4 thlr. 6 gr.

Dionysii Orbis terrarum descriptio. Recensuit et annotatione critica instruxit *Franc. Passow.* Accessit tabula geographica lapidi inscripta. 1825. Charta impr. 10 gr. Charta angl. 18 gr.

Euripidis Fabulae. Cum annotationibus *Ludovici Dindorfii.* II Voll. 1825. Charta impr. 2 thlr. 4 gr. Charta angl. 3 thlr. 8 gr.

Herodoti Musae. Cum brevi annotatione critica *Aug. Matthiae* et *Henr. Apetzii.* II Tomi. 1825—1826. Ch. impr. 2 thlr. Ch. angl. 2 thlr. 21 gr.

Hesiodus. Cum brevi annotatione critica edidit *Ludov. Dindorfius.* 1825. Charta impr. 6 gr. Charta angl. 10 gr.

Homeri carmina ad optimorum librorum fidem expressa curante *Guil. Dindorfio.* Vol. I. *Ilias.* 1826. Charta impr. 18 gr. Charta angl. 1 thlr. 8 gr.
— — Vol. II. *Odyssea.* 1824. Charta impr. 18 gr. Charta angl. 1 thlr. 8 gr.
— — Vol. III. continens carmina minora. Ad optim. editionum fidem recensuit et notis instruxit *Frid. Franke.* 1828. Ch. impr. 16 gr. Ch. angl. 1 thlr.

Isocratis Orationes. Cum brevi annotatione critica edidit *Guil. Dindorfius.* 1825 Charta impr. 1 thlr. 16 gr. Charta angl. 2 thlr. 6 gr.

Isocratis Panegyricus. Cum brevi annotatione critica edidit *Gustav. Pinzgerus.* 1825. Charta impr. 5 gr. Charta angl. 8 gr.

Lysiae Amatorius Graece. Lectionis varietate et commentario instruxit *Ed. Haenisch.* 1827. Charta impr. 8 gr. Charta angl. 14 gr.

Plutarchi Vitae. Curavit *Godof. Henr. Schaefer.* V Voll. 1825—29. Charta impr. 6 thlr. 6 gr. Charta angl. 9 thlr. 14 gr.

Sophoclis Tragoediae. Cum brevi annotatione critica edidit *Guil. Dindorfius.* Accesserunt trium MSS. lectiones. 1825. Charta impr. 1 thlr. Charta angl. 1 thlr. 18 gr.

Theocriti, Bionis et Moschi Carmina. Edidit *Aug. Meineke.* Accedit brevis annotatio critica. 1825. Charta impr. 10 gr. Charta angl. 16 gr.

Thucydidis de bello Peloponnesiaco libri octo. Cum brevi annotatione critica edidit *Ludovicus Dindorfius.* 1824. Charta impr. 1 thlr. Charta angl. 1 thlr. 20 gr.

Xenophontis Expeditio Cyri. Cum brevi annotatione critica edidit *Ludovicus Dindorfius.* 1826. Charta impr. 10 gr. Charta angl. 16 gr.

Xenophontis Historia Graeca. Cum brevi annotatione critica et MS. Victoriani varietatibus edidit *Ludovicus Dindorfius.* 1824. Charta impr. 12 gr. Charta angl. 18 gr.

Xenophontis Institutio Cyri. Cum brevi annotat. crit. edidit *Lud. Dindorfius.* 1826. Charta impr. 12 gr. Charta angl. 18 gr.

Xenophontis Memorabilia. Cum MS. Vict. varietatibus ed. *Guil. Dindorfius.* 1824. Charta impr. 8 gr. Charta angl. 14 gr.

Xenophontis Scripta minora. Cum brevi annotatione critica edidit *Ludovicus Dindorfius.* 1824. Charta impr. 12 gr. Charta angl. 18 gr.

B. Römische Autoren.

C. Iulii Caesaris Commentarii de bello Gallico et civili, accedunt libri de bello Alexandrino, Africano et Hispaniensi, e recensione Francisci Oudendorpii. Textum passim refinxit, annotationem criticam adiecit *I. C. Daehne.* 1822. Charta impr. 18 gr. Charta angl. 1 thlr. 6 gr.

M. Tulli Ciceronis Laelius, sive de amicitia dialogus. Ad librorum MS. et editt. fidem recensuit et annotatione perpetua instruxit *Carolus Beierus.* 1828. Charta impr. 18 gr. Charta angl. 1 thlr. 3 gr.

M. Tulli Ciceronis Laelius, sive de amicitia dialogus. In usum scholarum brevi annotatione critica instruxit *Carolus Beierus.* 1828. Charta impr. 5 gr. Charta angl. 8 gr.

Cornelii Nepotis quae exstant. Ad optimorum librorum fidem accurate edidit, annotationem criticam atque exegeticam adiecit *I. C. Daehne.* 1827. Charta impr. 10 gr. Charta angl. 16 gr.

Eutropii Breviarium historiae Romanae. Editionem curavit *Detl. C. G. Baumgarten-Crusius.* 1824. Charta impr. 3 gr. Charta angl. 6 gr.

Q. Horatii Flacci Opera omnia. Ad optimorum librorum fidem recensuit et annotationibus instruxit *I. C. Jahn.* 1824. Charta impr. 10 gr. Charta angl. 16 gr.

T. Livii Patavini Historiarum libri qui supersunt omnes, et deperditorum fragmenta. Editionem curavit, brevem annotationem criticam adiecit *Detl. C. G. Baumgarten-Crusius.* III Tomi. 1825—26. Charta impr. 2 thlr. Charta angl. 3 thlr.

T. Lucretii Cari de rerum natura libri sex. Ad optimorum librorum fidem edidit, perpetuam annotationem criticam et exegeticam adiecit *Albertus Forbiger.* 1828. Charta impr. 1 thlr. 16 gr. Charta angl. 2 thlr. 8 gr.

P. Ovidii Nasonis Opera omnia. Editionem curavit, brevem annotationem criticam adiecit *Detl. C. G. Baumgarten-Crusius.* III Tomi. 1824. Charta impr. 1 thlr, 8 gr. Charta angl. 2 thlr. 2 gr.

A. Persii Flacci Satirae VI. Recensuit et annotationem criticam et exegeticam addidit *E. G. Weber.* 1826. Charta impr. 6 gr. Charta angl. 10 gr.

M. A. Plauti Captivi. Emendavit *Frider. Lindemann.* 1830. Charta impr. 6 gr. Charta angl. 9 gr.

M. A. Plauti Miles Gloriosus. Emendavit *Frieder. Lindemann.* 1827. Charta impr. 6 gr. Charta angl. 9 gr.

Sex. Aurelii Propertii Carmina. Ad fidem optimorum codicum recensuit, integram Groningani, Neapolitani, excerptorum Puccii varietatem lectionis brevemque adnotationem adiecit *Frid. Jacob.* 1827. Charta impr. 12 gr. Charta angl. 18 gr.

M. Fabii Quintiliani de institutione oratoria libri duodecim. Notas maximam partem criticas adiecit *Aug. Gotth. Gernhard.* II Voll. 1830. Charta impr. 1 thlr. 12 gr. Charta angl. 2 thlr. 12 gr.

C. Cornelii Taciti Annales. Recognovit, annotationem criticam adiecit *Theoph. Kiesslingius.* 1829. Charta impr. 21 gr. Charta angl. 1 thlr. 12 gr.

P. Terentii Carthaginiensis Afri Comoediae. Ad fidem optimarum editionum recognitas, commentario critico-exegetico in difficillimis locis illustratas, una cum disquisitione de arte et ratione Comici edidit *Frid. Reinhardt.* 1827. Charta impr. 14 gr. Charta angl. 21 gr.

P. Virgilii Maronis Opera omnia. Ad optimorum librorum fidem recensuit et in usum scholarum edidit *I. C. Jahn.* 1825.
Charta impr. 18 gr. Charta angl. 1 thlr. 6 gr.

☞ Indem ich durch diese Unternehmung den Schulen vorzugsweise zu nützen, den Schülern gute und wohlfeile Ausgaben zu übergeben wünsche, so komme ich auch gern einem mehrfach gegen mich geäusserten Verlangen nach, insofern ich die Einrichtung getroffen, dass nicht nur allein von jedem Werke die Bände einzeln, sondern auch von den Tragödien und Komödien des *Aeschylus*, *Sophocles*, *Euripides* und des *Aristophanes*, so wie des unter der Presse sich befindenden *Plautus*, und von den Schriften des *Cicero* jedes Stück mit besonderm Titel ebenfalls auch einzeln zu haben ist. Eben so werden vom *Tacitus* alle Stücke getrennt zu haben seyn.

Ausserdem sind in meinem Verlage erschienen:

Apollonii Rhodii Argonautica. Ad fidem librorum manuscriptorum et editionum antiquarum recensuit, integram lectionis varietatem et annotationes adiecit, scholia aucta et emendata indicesque locupletissimos addidit *August. Wellauer.* II Voll. 8 mai. 1828. Ch. impr. 3 thlr. Ch. angl. 4 thlr. 12 gr.

M. Tulli Ciceronis orationum pro Tulio, in Clodium, pro Scauro, pro Flacco fragmenta inedita, membranis palimpsestis bibliothecae R. Taurinensis Athenaei eruta, et cum Ambrosianis earumdem orationum fragmentis coniuncta ab Amedeo Peyrone, in R. Taurinensi Athenaeo ling. orient. Professore, colleg. theolog. xxx viro et R. scientiarum Academiae Socio, cum huius integris, cum superiorum editorum selectis et cum suis annotatt., tum emendatiora, tum auctiora separatim edidit *C. Beier.* Cum speciminibus codicum et Ambrosianorum et Taurinensis lithographia. 8 mai. 1825. Charta impr. 2 thlr. Charta angl. 3 thlr.

De Marco Aurelio Antonino imperatore philosophante ex ipsius commentariis scriptio philologica. Instituit *Nicolaus Bachius.* 8 mai. 1826.
Charta impr. 10 gr. Charta angl. 16 gr.

Jahrbücher für Philologie und Pädagogik. Eine kritische Zeitschrift, in Verbindung mit einem Verein von Gelehrten herausgeg. v. *J. C. Jahn.* Erster Jahrg. in 2 Bdn. oder 4 Heften. 1826. Alle 4 Hefte complett 6 thlr.

— — Zweiter Jahrg. in 3 Bänden oder in 12 getrennten Heften. 1827. Alle 12 Hefte complett 9 thlr.

— — Dritter Jahrg. in 3 Bänden oder in 12 getrennten Heften. 1828. pr. compl. 9 thlr.

— — Vierter Jahrg. in 3 Bänden oder in 12 getrennten Heften. 1829. pr. compl. (*werden fortgesetzt.*) 9 thlr.

Lehrbuch der christlichen Religion für die unteren Classen auf Gymnasien. Von *I. G. Rätze*, Lehrer am Gymnasium in Zittau. Mit einem Vorbericht von *Fried. Lindemann*, Director am Gymnasium daselbst. gr. 8. 1828. 12 gr.

Platonis Opera Graece. Recensuit et annotatione critica instruxit *Car. Ern. Christoph. Schneider.* Vol. I. 8 mai. 1830. Charta impr. 2 thlr. 12 gr.
Charta angl. 3 thlr. 4 gr. Charta belg. 5 thlr.

Selinus und sein Gebiet. Eine Abhandlung der Erd- und Völkerkunde Siciliens, von *Herrmann Reinganum.* Mit einer Karte und andern Abbildungen. gr. 8. 1827. 1 thlr. 8 gr.

Testamentum novum Graece. Ad optimorum librorum fidem edidit et in usum scholarum brevibus notis instruxit *Io. Ern. Rud. Kaeuffer.* [Fasc. I. Evangelium Matthaei.] Accessit in plagula lapidi impressa descriptio Palaestinae. Charta impr. 12 gr. Charta angl. 18 gr.

Leipzig, im Oct. 1829.

B. G. Teubner.

M. A. PLAUTI

FABULAE

AD OPTIMOS LIBROS PARTIM
NON ANTEHAC COLLATOS EMENDATAE.

ACCESSERUNT
OBSERVATIONES CRITICAE ET GRAMMATICAE

STUDIO

FRIDERICI LINDEMANNI.

LIPSIAE
SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI
MDCCCXXX.

M. A. PLAUTI

C A P T I V I

EMENDAVIT

FRIDERICUS LINDEMANNUS.

LIPSIAE
SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI
MDCCCXXX.

PRÆFATIO EDITORIS.

Quum nostris temporibus Plauti fabulae plane negligi viderentur a viris doctis, singulari quadam fortuna contigit unis *Captivis*, ut duabus editionibus in terris longe dissitis intra haud diuturnum tempus ornarentur. Earum altera prodiit Neapoli anno huius saeculi septimo, curata ab adolescente Italo, *Avellinio*, qui ad eam instruendam septem et quadraginta libros manu exaratos adhibuit. Altera lucem vidit Amstelodami, decem annis post, facta ab *I. Bosscha*, Batavo, qui quinque Codd. Mss. usus est, ab Avellinii libris diversis, qui in bibliotheca universitatis litterarum Leidensis asservantur. Credas plane perpolitam et absolutam numeris suis hanc fabulam ex tot librorum vetustorum collatione prodiisse. Sed res secus se habet. Tam parvi enim pretii sunt isti Codices ad unum omnes, ut in locis maxime dubiis et aperte corruptis vix paullum inter se discedant, in plurimis plane consentiant. Qua ex re intelligitur, actum non agere, qui novos atque antea non collatos libros scriptos conferat eorumque auxilio multum corruptae et male habitae scriptoris orationi succurrere studeat. At ne hoc ipsum quidem, ut res nunc se habent, multum allaturum est utilitatis. Nam nisi liber aliquis reperiatur, vetustate omnes superans, qui communi labe expers istorum vitiorum aut nihil habeat aut originem ostendat; nullam Plauti sospitandi viam inventum iri certissimum est. Qualem librum credibile vel potius certum est Codicem esse rescriptum Ambrosianum, quem Angelus Maius versavit, in quo tamen paucae tantum huius fabulae habentur plagulae, e quibus nihil publici iuris fa-

829522

cere poterat Maius, quippe quod essent istae plagulae tam detritae ac male habitae, ut nullus versus integer legi posset, quemadmodum ille palam est testatus.

Igitur videndum est, ut ex iis libris, quos habemus et quorum lectiones sunt collectae, veram poetae manum, quoad eius sine hariolatione fieri possit, agnoscamus et restituamus, donec aliquis Ambrosianum Codicem diligentius inspexerit, aut, quia ne ex eo quidem multum sperari potest, alium integriorem invenerit. Quapropter equidem iisdem auxiliis usus, quae in proxima *Militis* editione adhibui, emendandi provinciam sum aggressus, satis habens, probabiliorem Codicum lectionem adoptasse, aut ubi nulla inveniretur, corruptionem indicasse, aut lacunam significasse, aut denique, id quod haud saepe factum, coniectura locos affectos vel aliorum vel mea sanare studuisse. In quo consilio exsequendo tres repperi esse Codices vetustos, qui viderentur reliquis esse minus corrupti, quorum lectiones, ut plurimum, nisi aperti viderentur errores, amplectendas iudicavi; dico Codicem Suritanum, quem possidet bibliotheca civitatis Lipsiensis publica, Codicem Regium primum Neapolitanum, quem contulit Avellinius, et Codicem Voss. A. apud Bosscham. Quorum librorum ope multi loci in hac fabula corrupti aut addubitati in integrum restituti esse videntur. In compluribus tamen iisque corruptissimis locis etiam hi Codices editorem deserunt et cum vulgo librorum mirum in modum consentiunt, ita ut credam, omnes quos nunc habemus Plauti Codices ex uno corrupto antigrapho fluxisse.

Praeter universam Plautinae orationis emendationem duo maxime in edenda hac fabula spectanda duxi; alterum, ut priscas verborum formas veras, non fictas, ut nunc a quibusdam fieri video, reducerem, id quod numquam tamen sine Codicum autoritate faciendum putavi; alterum, ut metra Plautina suo pristino nitori restituerem, qua in re aliquoties ab Hermanno, quem in hoc genere unice sequendum intelligimus, fuit dissentiendum. Quo enim longius

prosedo in familiaritate cum Plauto contrahenda, quoque diligentius eius orationem tracto, eo manifestius intelligo, eius prosodiam esse liberrimam, metra vero astrictissima, usitatissima et maxime vulgaria. Et in prosodia quidem certum mihi est, hiatum paullo saepius esse admittendum, quam ab Hermanno fieri video, et vulgarem sermonis familiaris consuetudinem magis audiendam. In versibus vero glyconeos et sotadeos paullo saepius inveniri, quam Hermanno est visum, putabam. De quibus tamen rebus nemo melius et rectius iudicabit, quam idem Hermannus, cuius de mea editione iudicium cupide exspectem, si iudicandi operam in se suscipere velit.

Namque satis mirari nequeo, quid tandem sit, quod induxerit Bothium, ut in scenicorum Latinorum editione pro versibus nobis venderet, quos nulla unquam veterum aetas agnovit, qui nulli versus esse possunt, quique nusquam exstant, nisi in Bothii cerebello. Is homo non mediocriter doctus, qui multa satis ingeniose vitia e Plauti comoediis removit, eam sibi in metris veterum perscrutandis et restituendis legem scripsisse videtur, ut ne unquam cum quoquam alio, idem consilium sectanti, sentiret semperque perversissima amplectenda sibi existimaret, modo essent alia. Unde fieri aliter non potuit, nisi ut ridicula quaevis et aperte falsissima pro veris admitteret, de quibus si ipsi persuasum revera fuit, quod mihi non credibile, ego somniasse eum grave et inexpiabile somnium iudicaverim.

De libris, quos ipse volvi et ex parte accurate contuli, quum iam in *Militis* editione retulerim, paucis tantum hoc loco monebo. Codex Lipsiensis, quem a priori possessore Suritanum appellavi, praesto mihi fuit per integrum editionis curandae tempus, quo beneficio ornatus sum a Blümnero, viro amplissimo, civitatis Lipsiensis aedili et bibliothecae praefecto, cuius ego humanitatem nequeo satis laudare, et cui gratiae hoc loco a me actae sunto quantae intelligi possunt maximae. Diuturniorem enim Codicis ali-

cuius, qui tam bonae notae est, usum in summis ego, quae editori fieri possunt, beneficiis ponendum existimo. Praeterea libros Guelpherbytanos habui duos per idem temporis spacium ad utendum concessos, alterum membranaceum, alterum chartaceum, qui posterior est idem, quem Bothius dixit Helmstadiensem, qui ad optimos mihi accedere videtur, licet corruptiones habeat multas easque novas ac plane singulares. Quorum librorum utendorum beneficium me debere viris summis, in ducatu Brunsvicensi summum rei litterariae moderamen gerentibus, maxima cum gratiarum actione profiteor. Tum ex iis libris Mss. quos Scioppius contulit, praeter Camerarii unum et Langianos, recens accessit in hac fabula Eystadiensis, qui ab initio mutilus, in media hac fabula incipit. Porro in consilium vocavi, quoties fieri potuit, Alberti de Eiib margaritam poeticam, qui in singulari libri sui capite elegantias Plautinas collegit, atque interdum ex optimis Codicibus hausisse mihi est visus.

Ex editionibus adhibui varietatem Principis et praeterea Parmensem, de qua dixi in praefatione ad *Militem*. Denique Camerarii, Lambini, Douzae, Parei, Taubmanni editiones omnes ipse diligenter inspexi, et ubicunque opus videretur, earum lectiones notavi, id efficere studens, ut unde et quando lectio quaedam enata sit, indicarem. Vulgatam autem dixi Gronovianam, cuius editionem Lipsiensem ab Ernestio curatam ubique pro fundamento meae recensionis posui. Quae mea opera utrum aliquid contulerit ad Plautinam elegantiam et integritatem restituendam, id quod factum esse spero, ea de re iudicium virorum harum litterarum peritorum cupide exspecto. Scripsi ruri prope Zittaviam festo die Divi Ioannis anno MDCCCXXVIII.

CAPTIVI.

ARGUMENTUM.

Hegio, Aetolus, homo praedives, duo habebat filios, quorum alter quadrimus a servo perfido ac fugitivo surreptus, in Elidem translatus ibique venundatus erat; neque per longam annorum seriem, quid eo factum, pater resciscere potuit. Multo post, quum forte bellum inter Aetolos et Elienses esset, alter Hegionis filius, Philopolemus, natu maior, ab Eliensibus capitur. Quum vero etiam Aetoli multos cepissent Eliensium, Hegio servorum mercatum prudenti consilio exercere instituit, quo posset filium suum commutando fortasse redimere ab Eliensibus. Igitur multos commercatur captivos, sperans, fore, ut in numero eorum nobilem aliquem reperiat, pro quo filium suum recuperet.

Ab hoc inde loco in scena agi fabula incipit. Inter captivos istos, quos Hegio commercatus erat, forte fuit Philocrates, summo in Elide genere ortus, qui cum servo suo Tyndaro, item captivo et ab Hegione emto, in scenam procedit. Philocrates autem, quo citius ex servitute liberaretur et in patriam rediret, cum Tyndaro, servo suo fidelissimo, nomen et vestem mutaverat, seque servum, illum dominum suum Hegioni nominaverat. Ita factum, ut, quum Hegio consilium suum exsequi vellet et servum Tyndarum hac mente in Elidem ad commutandum filium mitteret, Philocrates mitteretur. Mox accidit, ut alius captivus, quem eundem emerat Hegio, rei ignarus, Tyndarum proderet et Hegioni fraudem factam ostenderet. Quo facto senex, quippe amisso Philocrate de spe filium recipiundi deiectus, ira effervescens Tyndarum in vincula coniectum in lapicidinas abduci iubet. Sed non diu res in suspenso est. Redit Philocrates et secum Hegionis filium Philopolemum, e servitute liberatum, adducit, simulque Stalagmum, servum illum fugitivum ac furem, qui Hegionis filium quadrimum surripuerat et in Elide patri Philocratis vendiderat. Inde arcessitur Tyndarus, sed ante, quam is advenit, fit palam, ipsum Tyndarum esse istum Hegionis filium, olim quadrimum surreptum. Itaque agnitus Tyndarus in familiam restituitur. Stalagmus autem pro Tyndaro vinculis constringitur, atque ita omnia laetum ex insperato inveniunt exitum.

FABULAE INTERLOCUTORES.

ERGASILUS, parasitus.
HEGIO, senex.
LORARIUS, servus.
PHILOCRATES }
TYNDARUS } Captivi.
ARISTOPHONTES }
PUER Hegionis, cellarius.
PHILOPOLEMUS, filius Hegionis.
STALAGMUS, servus.
GREX.

ARGUMENTUM ACROSTICHUM.

Captúst in pugna Hégionis filius.
Aliúm quadrimum fúgiens servus véndidit.
Patér captivos cómmercatur Alios,
Tantúm studens, ut gnátum recuperét suum,
Et ín ibus emit ólim amissum filium.
Is, suó cum domino véste vorsa ac nomine,
Ut ámittatur, fécit; ipsus pléctitur.
Et ís reduxit cáptum et fugitivúm simul,
Indício quoius álium agnoscit filium.

---

1. *Captust* iam Bothius rescripsit, metri caussa. Libri *captus est*. Voc. *pugna* non liquescit.

3. *Alios* i. e. Elienses, ex Elide. Elienses enim ipsi, quippe Peloponnesii, Dorice loquebantur. *Aleos* Cod. Cam.

4. *Ut gnatum recuperet suum*. Ita Cod. Cam. et Ed. Parm. nisi quod *natum*. Cod. Lang. *ut gnatum reciperet suum*. *Suum* omm. Cod. Sur. Gu. uterque, qui iidem *gnatum* et *recuperet* exhibent.

5. *Et in ibus*. Sic primus rescripsit Gul. Quaestt. in Capt. c. 1. et post eum Grut. Codd. plerumque *inibi*. Gu. chart. et Ed. Pr. *Et mihi*. Metrum Gulielmi coniecturam defendit, nisi forte statuas hiatum in vv. *inibi — emit*, quem h. l. non admittendum censeo.

6. *Vorsa* dedi e Cod. Sur. pro vulg. *versa*.

7. *Ut amittatur, fecit*. Cf. Milit. Gl. II, 1, 53. *Dedi mercatori, qui ad illum deferat*. Romani in narratione post perfectum eodem modo atque Graeci post aoristum, praesens coniunctivi intulisse inveniuntur. Cf. quae notavi ad minorem Militis editionem pag. 51. Accedit h. l. excusatio, quod reliqua in praesenti narrantur. Ceterum notandum *amittere* consuetudine antiqua pro eo quod recentioribus est *dimittere*.

9. *Quoius* dedi e Cod. Sur. *coius* Gu. chart. — *Alium* pro *altero* dici ad hunc locum certatim annotaverunt interpretes, sicut saepe *alterum* pro *alio quovis*.

PROLOGUS.

Hos quós videtis stáre hic captivós duos,
Illí qui astant, — hí stant ambo, nón sedent.
Hoc vós mihi téstes éstis me verúm loqui.
Senéx, qui hic habitat, Hégio est, huiús pater.
Sed ís quo pacto sérviat suo síbi patri,
Id ego híc apud vos próloquar, si operám datis.
Seni huíc fuerunt filii natí duo,
Aliúm quadrimum púerum servus súrpuit,
Eumque hínc profugiens véndidit in Alide

---

1. *Hos quos;* attractio est. *Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit* Terent. Eun. IV, 3, 11. *Urbem quam statuo, vestra est* Virg. Aen. I, 574. Res est notissima. Cf. etiam Taubm. ad hunc locum. Imperite fecit Bothius, quod h. l. edidit: *Vos quos*, quemadmodum Codd. aliquot exhibent, qui eo minus audiendi, quod initiales litteras a rubricatoribus serius appictas esse constat.

2. *Illi qui astant, — hi stant.* Cod. Sur. *Illi qui stant ambo.* Gu. membr. *illi stant qui instant.* Gu. ch. *illi qui stant hii stant.* Leid. B. et Monac. *lli qui stant instant.* Edd. Princ. et Parm. *illi qui stant hi stant.* Cod. Cam. *qli qui astant hi stant*, atque ita vulgo, quod retinendum fuit. Hiatus in vv. *iiui astant* varias lectiones peperit. Simili modo *astare* dicitur Mil. II, 4, 5. Figura est, quae dicitur *παρὰ προσδοκίαν*, Latinis *sustentatio*, ut recte ad hunc locum notavit Bosscha.

3. Vulgo *Vos vos.* Sed Mss. Cam. teste Taubm. *Hoc vos.* Ed. Pr. *Hos: vos.* Ceteri ut vulgo. *Hoc vos* iam edidit Bothius idque scribendum existimavi.

5. *Suo sibi patri* i. e. *suo ipsius*, *suo ipsemet*, seinem eigenen Vater. Ita innumeris in locis apud Plautum. Cf. infra prol. 46. *sua sibi fallacia.* Ibid. 50. *suo sibi patri.* I, 2, 13. *Suo sibi succo vivunt.* Amplius rem produxit Terentius Adelph. V, 8, 35. *Suo sibi gladio hunc iugulo;* et A. Gellius V, 10. *Suo sibi argumento confutatus est.* Cic. de amicit. 3. *Factus consul — suo sibi tempore;* hoc enim ordine scribendum. Ubique dat. *sibi* pendet a possessivo *suus*, quasi dicatur *suus sibi* pro eo quod est *sibi proprius*, vel potius ipsi proprius. Cf. Auct. ad Herenn. II. 29. *Simile vitiosum est, quod ex aliqua parte dissimile est nec habet parem rationem comparationis, aut sibi ipsi obest, qui affert;* pro *illi ipsi.*

8. *Alium* restituit Acidalius Divv. in Capt. c. 1. p. 88. ex Argum. Acrost. v. 2. 9. Vulgo *alterum*, quod in metrum peccat. De notione v. *alius* cf. quae supra notavi ad Arg. Acrost. v. 9. *Surpuit* per syncopam, metro flagitante. Codd. et Edd. vett. *surripuit*, *subripuit*, *subrupuit.* Primus Cam. scripsisse videtur *surpuit.* Cf. Horat. Carmm. IV, 13, 20. *Quae me surpuerat mihi.* Id. Sermm. II, 3, 283. *Unum me surpite morti.* Ut non dubium sit, formam ex quotidiano sermone desumptam in elegantiorum hominum usum transiisse.

9. *Vendidit*, producta ultima, ut Terent. Adelph. prol. fin. *augeát industriam.* Adde infra Captiv. III, 5, 88. *Nam mihi propter te hoc óbtigit. Abducite.* Ubi tamen excusatio quaedam a plena interpunctione personaeque mutatione.

Patri huiusce; — iam hóc tenetis? Optimumst.
Negat, hércle, illic últimus. — Accédito!
Si nón ubi sedeas lócus est, est ubi ámbules,
Quando hístrionem cógis mendicárier.
Ego mé tuá causa, ne érres, non ruptúrus sum.
Vos quí potestis ópe vostra censérier,
Accípite reliquom; álieno uti níl moror.
Fugitívus ille, ut díxeram ante, huiús patri,
Domó quém profugiens dóminum abstulerat, véndidit.
Hic póstquam hunc emit, dédit eum huic gnató suo
Pecúliarem, quía quasi una aetás erat.

---

10. *Patri* non coalescit. Bosscha volebat *Huiusce patri*, contra Codd. consensum.

11. Codd. et Edd. vett. omnes praeter Parm. hunc versum ita exhibent: *Negat hercle ille ultimus. Accedito.* In quo versu intolerabilis inest hiatus. Parmenses Editores ita correxerunt: *Sed negat hercle se illic ultimus accedito.* Reizius non male *mehercle*, quod recepit Bosscha, quodque Bentleius praeiverat, qui etiam *discedito* proposuit pro *accedito*. Bothius: *Negat hercule illic ultimus. — Accedito.* At neque *mehercle* neque *hercule* in asseverandi formulis legitur apud Plautum, semper *hercle*; *Hercule* vero est vocativus nominis *Hercules*, quum revera Deus invocatur. Veluti Rud. I, 2, 71.

Sed ó Palaemon, sáncte Neptuni comes,
Quique, Hércule, illi sócius esse díceris.

Ubicunque vero in hodiernis exemplaribus *hercule* in mera asseveratione legitur, vel *hercle* scribendum, vel locus aliter emendandus. Veluti Stich. III, 2, 6.

Auspício hodie hércule óptumo exiví foras;

ubi *hercule* ab Acidalio interpositum, quod nesciunt Codd. Lege potius:

Auspício hódie óptumo exiví foras,

duplici hiatu admisso. Captiv. III, 4, 67. meliores libr omnes exhibent:

Hércle, quid si hunc cómprehendi iússerim? Sapiás magis;

ubi vulgo *Hercule*. Truculent. II, 1, 1. libri habent:

Hahaha hercle quievi, quia introivit odium; tandem sola sum.

Ibi *hahaha* non potest esse cachinnantis et exsultantis, sed id quod orationis series ostendit, respirantis. Quapropter extra versum collocanda interiectio scribendumque:

Hahaha!
Hércle quiévi, quia introívit ódium; tándem sóla sum.

Neque enim est invocatio Herculis, sed nihil nisi asseverandi particula. Quod autem Göllerus secundum A. Gellium praestare studet, feminas nunquam per Herculem iurasse ac propterea apud probatiores nunquam a muliere dici *hercle*, *mehercle*, quemadmodum mares nunquam dixerint *ecastor*, *mecastor*, id nollem ita accepisset, ut inde emendandos innumeros scriptorum locos opinaretur. — Sed redeamus ad hunc nostrum locum. Nihil est mutandum, nisi *ille*, quod *illic* scribendum. Hiatus in v. *hercle* legitimus. *Ultimús* extremam syllabam pro longa habet propter interpunctionem plenam. Est enim quasi indifferens in fine versus. — De ultima cavea obstrepentem aliquem propius accedere iubet, ut possit cum eo expostulare commodius.

15. *Vostra* Cod. Sur. Vulgo *vestra*.

16. *Reliquom* Cod. Sur. ultima non coalescit. De sensu cf. Cistell. I, 3, 40.

20. *Quasi* i. q. paene. Cf. Terent. Heaut. I, 1, 93. *Quasi talenta ad quindecim coegi.*

Hic núnc domi servit suó patri, nec scít pater.
Enimvéro Di nos quási pilas hominés habent.
Ratiónem habetis, quómodo unum amíserit.
Postquám belligerant Aétoli cum 'Aliis,
Ut fít in bello, cápitur álter fílius.
Medicús Menarchus émit ibidem in 'Alide.
Coepít captivos cómmercari hic 'Alios,
Si quém reperire pósset, quo mutét suum
Illúm captivum; hunc súum esse nescit, quí domi est.
Et quóniam heri indaudívit, de summó loco
Summóque genere cáptum esse equitem 'Alium;
Nihil prétio parsit, fílio dum párceret:
Recónciliare ut fácilius possét domum,
Emit hósce de praeda ámbo de Quaestóribus.
Hisce aútem inter sese húnc confinxerúnt dolum,
Quo pácto is servos súum herum hinc amittát domum.
Itaque ínter se commútant vestem ac nómina.
Illíc vocatur Phílocrates, hic Tyndarus;
Huius íllic, hic huius hódie fert imáginem.

---

21. *Domi* monosyllabum.

24. *Aétoli.* Graecus accentus hanc pronunciationem adiuvare et excusare videtur: *Αἰτωλοί.* *Cum* non eliditur, ut saepe.

25. *Ut fit.* Producitur *fit*, quod ignorans Bosscha dedit *Uti fit in bello.*

28. *Quo mutet suum.* Cod. Sur. et Gu. chart. *quocum mutet s.* Alii Codd. et Edd. vett. *cum quo m. s.* Palat. sec. *quo mutet s.* idemque praebet Leid. B. idque dedimus. *Cum* insiticium esse iam Acidalius vidit, itemque Gifanius.

30. *Indaudivit.* Vulgo *inde audivit*, atque ita Codd. et vett. Edd. omnes. Recte vero iam Gul. Quaestt. in Capt. I, p. 71. *indaudivit* prisca forma rescribendum censuit. Testatur Gronov. ad marginem, Langg. libros habere hanc formam, verum Scioppius nihil retulit. Ceterum legitur eadem vox Milit. II, 1, 58. ibid. II, 5, 32. et alibi.

31. *Equitem* ultimam non elidit.

34. *Ambo* recepi e Cod. Sur. Gu. chart. Leidd. A. et C. Vulgo *ambos.*

35. *Hisce autem.* Vulgo *Hice.* Sed Codd. Sur. Guelph. uterque, tres apud Bosscham, Monac. Palatini: *Hisce.* Accedunt Edd. Pr. Med. Cam. Vide quae notavi ad Milit. ed. min. II, 6, 6. pag. 68. Adi etiam Avellinium ad h. l. qui eandem formam ex inscriptionibus affert, ubi adeo *HEISCE MAGITREIS* pro *Hicc magistri.* Orta est ex metaplasmo declinationis, quum pron. *hic* apud Vett. etiam ad tertiam decl. inflexum esse certum sit.

36. *Quo pacto is servos suum herum hinc amittat domum.* Ita plane Cod. Sur. *Q. p. is seruet herum suum hinc amictat domum.* Gu. membr. *Q. p. is servus herum suum hic am. d.* Gu. chart. *Is servos* tres Codd. apud Bosscham. *Servos servom* Cod. Leid. C. *Servus sevum* Monac. cum glossa: *habitu servi*, teste Bothio. Editiones vett. omnes praebent quod dedimus, nisi quod pleraeque *hic* pro *is.* Male Bothius scripsit *servos servom herum*, quod mihi videtur a Plauto alienum.

39. *Ilic huius.* Recte sic Cod. Gu. membr. metro iubente. Ceteri libri omnes: *hic illius.*

Et hic hódie expediet hánc docte falláciam,
Et súum herum faciet líbertatis cómpotem,
Eodémque pacto frátrem servabít suum,
Reducémque faciet líberum in patriam ád patrem,
Imprúdens; itidem ut saépe iam in multís locis
Plus ínsciens quis fécit, quam prudéns boni.
Sed ínscientes suá sibi fallácia
Ita cómpararunt ét confinxerúnt dolum,
Itaque hí commenti dé sua sententia,
Ut in sérvitute hic ád suum maneát patrem.
Ita núnc ignorans suó sibi servít patri.
Homúnculi quantí sunt, quom recógito!
Haec rés agetur nóbis, vobis fábula.
Sed étiam est, paucis vós quod monitos vóluerim.
Profécto expediet, fábulae huic operám dare.
Nam pértractate fácta est, neque item ut céterae,
Neque spúrcidici insunt vérsus immemorábiles;
Hic néque periurus léno est, nec meretríx mala,
Neque míles gloriósus. Ne vereámini,
Quia béllum Aetolis ésse dixi cum 'Aliis;
Foris íllic extra scénam fient proélia.
Nam hoc paéne iniquum est Cómicó chorágio,
Conári subitam ágere nos Tragoédiam.
Proin, sí quis pugnam exspéctat, lites cóntrahat;

---

40. *Hanc docte fallaciam.* Hunc ordinem libri tuentur omnes, nisi quod Gu. membr. *docte hanc f.*

44. *Itidem ut.* Vulgo *itidemque ut.* Cod. Sur. Gu. uterque, quattuor apud Bosscham *itidem et;* atque ita etiam Edd. Pr. Med. Parm. Vulgata est ex Cod.. Cam.

46. *Sua sibi.* Cf. notata supra ad v. prol. 5.

50. *Suo sibi.* Cf. notata supra ad v. prol. 5.

51. *Quom recogito.* Cod. Sur. *quom rem cogito; rem c.* etiam est in Leidd. A. et C. Gu. chart. Nihil mutandum. *Recogitare* dicitur ut *reputare*, überdenken. Cf. Curcul. III, 5. Merc. IV, 4, 2. Ceterum similem sententiam vide Rud. I, 2, 66.

55. *Nam pertractate.* Cod. Sur. Gu. membr. *Non pertractate.* Atque ita multi alii libri cum vetustis Edd. nisi quod Ed. Pr. et Parm. *pertractare.* Sed *pertractate* est *diligenter*, *cum cura*, quare amplectenda lectio Codd. Palatt. Gu. chart. Voss. B. Leid. C. qui *Nam pertractate.*

62. *Conari subitam agere nos tragoediam.* Ita rationibus omnibus exputatis scribendum censui. Codd. omnes fluctuant inter *desubitontos*, *desubitantos*, *desubitentos*, *desubitensos agere* cet. Quae monstra certum est orta ex vv. *subito nos* vel *subitam nos; de* autem additum esse a seriori manu probabile est, quae fortasse adiectivum *subitam* interpretamento *desubito* ascripto explicare voluerit. Transpositionem autem factam puto ab eo, qui hiatui in v. *subitam* mederi vellet. Saltem *agere* non suo loco positum esse in vulgata, metrum evincit. Vulgo: *Conari de subito nos agere tragoediam.*

Valéntiorem náctus advorsárium
Si erít, ego faciam ut púgnam inspectet nón bonam,
Adeo út spectare póstea omnis óderit.
Abeó. Valete, iúdices iustíssimi,
Domí bellique duéllatores óptumi.

Actus I. Scena I.

Ergasilus.

Iuvéntus nomen índidit scortó mihi,
Eo quia ínvocatus sóleo esse in convívio.
Scio absúrde dictum hoc dérisores dícere,
At ego áio recte. Nam ín convivió sibi
Amátor, talos quóm iacit, scortum ínvocat.
Estne ínvocatum, án non? Est planíssume.
Verum, hércle, vero nós parasiti plánius,
Quos númquam quisquam néque vocat, neque ínvocat,
Quasi múres semper édimus alienúm cibum.
Ubi rés prolatae súnt, quom rus hominés eunt;

---

64. *Advorsarium* scripsi e Cod. Sur.

66. *Omnis* scripsi e Cod. Sur.

67. 68. *Iustissimi — optumi.* Ita recte Cod. Sur.; non enim ubique *u* locum habuit in terminatione superlativi. Falso distinguit Acidalius: *iudices iustissimi Domi; bellique* cet. Carpit poeta civiles Romanorum dissensiones.

2. *In convivio.* Codd. Langg. teste Scioppio *in convivium*, non male.

4. *At ego aio recte.* Codd. Sur. Gu. uterque, omnes apud Bosscham, complures apud Avellinium, Edd. Pr. Parm. *At ego dico r. ἀμέτρως. Aio* primus Camerarius e Codd. edidisse videtur. — *Nam in convivio sibi.* Codd. Sur. Gu. uterq. plures apud Avell. *nam scortum in convivio sibi.* Aliquot Codd. etiam *est* intrudunt post v. *convivio.* In Voss. B. *scortum* in posteriore, in Leid. C. *scortum* in priore versu abest, in tribus aliis apud Bosscham bis ponitur. In Edd. Pr. Parm. in priore versu *scortum* legitur, in posteriore abest. Non dubium est, quin vulgata recte se habeat.

5. *Quom* e Cod. Sur.

6. *An non? Est planissume.* Cod. Sur. Gu. chart. *an non planissume*, nisi quod Gu. ch. *planissime.* Cod. Gu. membr. *an ne planissime. Est* omittunt etiam Langg., omnes apud Bossch., plures apud Avell., Ed. Pr. Primus Camerarius posuit *est*, sed bis: *an non est? est planissume.* Parm. interpolavit: *Estne invocatum, ut dico, an non? planissume.* Vulgata recte se habet.

7. *Verum, hercle, vero.* Codd. Sur. Gu. uterq. aliique permulti: *verum hercle verum*, quae est vulgata. Sed Leid. A. *v. h. vere.* Unus apud Avell. Pal. 1. et a m. sec. Pal. III. *v. h. vero.* Atque ita edidit Bossch. collato loco apud Pl. Curcul. III, 5. *Verum, hercle, vero, quom vere recogito;* et Catonis apud Gell. XIII, 17. *Verum vero inter offam atque herbam, ibi vero longum intervallum est.*

10. *Quom* scripsi e Cod. Sur.

Simúl prolatae rés sunt nostris déntibus.
Quasi quóm caletur, cóchleae in occultó latent
Suó sibi succo vívunt, ros si nón cadit;
Itém Parasiti rébus prolatís latent
In occúlto, miseri víctitant succó suo,
Dum rúri rurant hómines quos ligúriant.
Prolátis rebus Párasiti venátici
Sumus; quándo rure rédierunt, molóssici
Odiósicique et múltum incommodéstici.
Et híc quidem, hercle, nísi qui colaphos pérpeti
Potís Parasitus, frángique aulas ín caput,
Vel ire éxtra portam trígeminam ad saccúm licet!
Quod míhi ne eveniat, nónnullum perículumst.
Nam póstquam meus rex ést potitus hóstium; —

---

12. *Quasi quom caletur.* *Quom* Cod. Sur. *Calent* Sur. Gu. membr. complures apud Avell. Alii *caleret, calleret, calet.* Sed Gu. chart., apud Boscham omnes, Edd. vett. recte *caletur.* Codd. Langg. *calcetur.* Vat. 15. *calentur.* *Caletur* dicitur ut *frigetur, sudatur, statur, valetur, potestur, sedetur, itur;* i. e. homines calent, frigent, sudant cet. Cf. Perizon. ad Sanctii Min. III, 2, 2. Grotef. Gr. mai. tom. I. §. 116. Adde Plaut. Pers. II, 5, 8. Trucl. I, 1, 46. et alibi. Terent. And. I, 1, 102.

13. *Suo sibi succo.* Cf. quae notavimus supra ad prol. 5.

18. *Quando rure redierunt.* Vulgo *quando res redierunt.* Sed Cod. Sur, ut dedimus. Quasnam regit. Edd. *rure* exhibere dicat Bothius, ignoro. Saltem Pr. Parm. Cam. Par. Douza *res* praestant. *Res redierunt* vix Latine dici, recte monet Bothius.

19. *Incommodestici.* Codd. plerique omnes et Ed. Pr. ut edidimus. Unus Cam. Cod. *incommodistici.* Quidam etiam *incomedestici*, quod a v. *comedere* factum esset; non male, si metrum admitteret. Ut ex v. modus procuditur *modestus*, sic ab *incommodus* ioculari dictione profertur *incommodestus, incommodesticus.*

21. *Potis parasitus.* Cod. Sur. Gu. chart. quattuor apud Bosscham, tres apud Avell. *Potest p.* quod rescribendum esset, nisi certissima vestigia in Codd. antiquum adiectivum *potis* defenderent. Nam Cod. Voss. A. et Cam. *potes.* Gu. membr. *potet.* Primus Cam. dedisse videtur *potis.* Edd. Pr. Parm. *potest.*

22. *Vel ire extra portam — licet.* Ita Codd. ad unum omnes et vett. Edd. nisi quod Cam. *Vel extra portam ire*, cui accedunt Douza et Pareus. Boscha v. *ire* tanquam interpretamentum exterminavit, quod est probabile. Interim tamen non necessarium videtur. Nam vv. *vel ire* in anacrusi collocatis constat versus et sententiae consulitur. Et ad versum quod attinet, nemo facile offendat in eiusmodi anacrusibus: *Adĕst. 'En* Trin. prol. 3. *Sălūs interióris córporis* Asin. III, 3, 66. *Atqui ĕgo istuc* Aulul. II, 4 8. *Sĕnĕx óbsonari* Ibid. I, 4, 16. *Abeo īrátus illinc* Ibid. II, 8, 7. *Ita ŏmnis de tecto* Rud. I, 1, 5. *Sĕd ŭxór scelesta* Rud. IV, 1, 4. Et sic sexcenties alibi. Cf. me in libello de vet. Pros. p. XIX. et Bentl. in schediasm. pag. 16. ed. Tauchn.

24. *Est potitus hostium.* *Potire*, activa forma, cum genitivo et ablativo apud Plautum aliquoties invenitur notatque alicuius rei compotem reddere, participem facere, etiam in rê mala. Sic Amphitr. I, 1, 23. *Eum nunc potivit pater servitutis;* h. e. quasi in potestatem servitutis dedit, participem fe-

(Ita núnc belligerant Aétoli cum 'Aliis;
Nam Aetólia haec est; illic est captus in 'Alide
Philopólemus huius Hégionis filius
Senís, qui hic habitat; quae aédes lamentáriae
Mihi súnt, quas quotiescúmque conspició, fleo.)
Nunc híc occepit quaéstum hunc fili grátia
Inhonéstum et maxume álienum ingenió suo.
Hominés captivos cómmercatur, sí queat
Aliquem ínvenire, suúm qui mutet filium.
Quod égo quidem nimís quam cupio ut ímpetret;
Nam ni íllum recipit, níhil est, quo me récipiam.
Nulláſt spes iuventutís; sese omnes amant.
Ille démum antiquis ést adolescens móribus,
Quoius númquam voltum tránquillavi grátiis

---

cit servitutis. Rud. IV, 2, 6. *Piscatu novo me uberi compotivit.* Igitur *hostium potitus* erit quasi possessio factus hostium, ab hostibus captus. Est genitivus possessivus, ut saepe.

25. *Aetoli cum Aliis.* Cf. supra ad prol. v. 24. De signif. v. *ita* in confirmatione et declaratione eorum, quae dicta sunt, cf. Horat. Turs. v. *ita* n. 3. et Bosscham ad h. l.

26. *Illic est captus in Alide.* Ita quidem Codd. omnes, nisi quod quidam *illic captust vel captus est.* Certum mihi est, veram esse, quam dedi. *Illic* duarum est brevium, ut saepissime; nisi forte ubique contra Codd. fidem, ubi sequitur vocalis, rescribendum *illi.* At neque sic omnes loci tollentur, ubi *illic* pro pyrrhichio est. Memorabile exemplum sic usurpatae vocis *istic* legitur in Rud. IV, 4, 34. *Sĕd ĭstĭc ĭnĕst cistellula*, ubi tamen suspicio est, legendum esse: *Sĕd ĭsti ĭnést cistellula.* Cod. enim Sur. habet: *Sed isti nest cistellula.* Verum ultima in *istic* aliquoties corripitur ibid. v. 38. *'Istĭc in ista cistula insunt, quae istĭc inest in vidulo.* Hoc nostro Captivorum loco scripsit Bothius: *illi est captus in Alide.*

31. *Inhonestum et maxume.* *Et* insertum e Codd. Sur. Gu. ut omnibus apud Bosch. Langg. multis apud Avell. Edd. Pr. Parm. Primus videtur omisisse Cam. *Maxume* scripsi e Cod. Gu. chart.

33. *Suum qui mutet.* Ita scribendum metro flagitante. Cod. Sur. Gu. ch. Leid. A. *qui commutet.* Cod. Gu. membr. Leid. C. *quicum commutet.* Voss. A. B. Leid. B. *quicum mutet.* *Qui mutet* iam Scioppius scribendum censuit legiturque in Ed. Argent. assentiente Acidalio. Cf. supra ad prol. 28.

34—37. *Quod ego quidem — moribus.* Hi versus de Acidalii ingeniosissima et certissima coniectura huc traducti ex scena sequenti, ubi vulgo incommodissime leguntur post v. 16. Cf. Acidal. Divv. in Captiv. c. 1. pag. 89. Vulgatum ordinem defendit Bosscha, qui statuit, in scena sequenti Ergasilum, qui introisset, tum iterum egredi e domo Hegionis et continuare orationem, quam in scena superiore abrupisset. Male. Nam si intraret domum Ergasilus, occurrere debebat exeunti Hegioni. In Palatino IV. teste Bothio versui 33. ascriptum est: *deficit.*

36. *Nulláſt spes iuventutis.* Sic Codd. quos sciam omnes et Ed. Pr. Primi Parmenses Editores ordinem immutarunt, metro timentes; frustra. Ceterum Cod. Sur. et Gu. chart. *omnis.* Ultima in *sese* non coalescit.

38. *Quoius* et *voltum* dedi e Cod. Sur.

Condígne pater est eíus moratus móribus.
Nunc ád eum pergam, séd aperitur óstium,
Unde sáturitate saépę ego exii ébrius.

Actus I. Scena II.

Hegio, Lorarius, Ergasilus.

Advórte animum sis, tu! ístos captivós duo,
Heri quós emi de praéda, de quaestóribus,
His índito caténas singulárias;
Istás maiores, quíbus sunt vincti, démito.
Sinito ámbulare, sí foris, sí intús volent;
Sed uti ásserventur mágna diligéntia.
Libér captivus ávis ferae consímilis est:
Semél fugiundi sí data est occásio,
Satis ést; nunquam postílla possis préndere.
Lo. Omnés profecto líberi lubéntius
Sumus, quám servimus. *He.* Nón videre ita tú quidem.
Lo. Si nón est quod dem, méne vis dem ipse ín pedes?
He. Si déderis, erit extémplo mihi, quod dém tibi.
Lo. Avis mé ferae consímilem faciam, ut praédicas.
He. Ita ut dícis; nam si fáxis, te in caveám dabo.

---

39. ***Condigne pater est.*** Ita Codd. Sur. Gu. uterque, quattuor apud Bosch., permulti apud Avell., Edd. Pr. Parm. Videtur primus mutasse Camerar. Vulgo: *Condigne est pater.*

1. *Duo* Cod. Gu. membr. Vulgo *duos.*

2. *Heri.* Ita scripsi Codd. secutus Sur. Gu. utrumque, Langg. Edd. Pr. Parm. Primus Camerar. edidisse videtur *Her e*, quod habet vulgata. De metro non timendum. Simili enim modo *Dedi* Mil. II, 1, 53. Atque ita sexcenties alibi. In reliquis vulgatam retinui, quam Codd. omnes defendunt. Bothius scripsit: *Herí quos de praeda émi de quaestóribus*, qua transpositione non est opus.

8. *Fugiundi* dedi e Cod. Sur.

9. *Postilla.* Vulgo *post illam*; atque ita Codd. Cam. Sur. Gu. chart. Edd. Pr. Med. Sed recte *postilla* (quod est procusum ut *postea*) Codd. Gu. membr. Voss. A. Edd. Parm. Charp. Atque ita etiam Alb. de Eiib in marg. poet. Vulgata orta est ex Correctione.

12. *Si non est quod dem.* Dom. Baudius vel e coniectura vel pro varia lectione h. l. scribendum proposuerat: *Si non est qui dem;* non malc. Solet enim iocum captare Plautus aliter accipiendo verba ab aliis dicta. Dixerat autem Hegio: *non videre ita tu quidem.* Quare subiungit Lorarius: *Si non est qui dem*, h. e. unde dem, unde pretium meum solvam. Sed non addicunt Codd. Memorabile tamen est, Cod. Gu. chart. v. sq. praebere *qui dem tibi*, pro vv. *quod dem tibi.*

14. *Praedicas.* Codd. plerique et Edd. Pr. Parm. *praedixisti*, vel *praedixti*, vel corruptius etiam *praedisisti.* Primus vulgatam, ut videtur, Camerar. induxit, quam veram esse et versus et sententia ostendit.

15. *Ita ut dicis.* Non est negandi formula, sed lepide assentientis, con-

Sed sátis verborum est; cúra quae iussi, átque abi.
Ego íbo ad fratrem, ad álios captivós meos:
Visám, ne nocte hac quíppiam turbáverint.
Inde mé continuo récipiam rursús domum.
Er. Aegre ést mi, hunc facere quaéstum carcerárium,
Proptér sui gnati míseriam, miserúm senem.
Sed si úllo pacto ille húc conciliarí potest,
Vel cárnificinam hunc fácere possum perpeti.
He. Quis hic lóquitur? *Er.* Ego, qui tuó moerore máceror,
Macésco, consenésco, et tabescó miser.
Ossa átque pellis súm, miser, macritúdine.
Neque únquam quicquam mé iuvat quod edó domi;
Forís aliquantulum étiam quod gusto, íd beat.
He. Ergásile, salve! *Er.* Dí te bene ament, Hégio!
He. Ne flé. *Er.* Egone illum nón fleam? ego non défleam
Talem ádulescentem? *He.* Sémper sensi fílio
Meo te ésse amicum, et íllum intellexí tibi.
Er. Tum dénique homines nóstra intelligimús bona,
Quom, quae ín potestate hábuimus, ea amísimus.
Ego, póstquam gnatus túus potitust hóstium,
Expértus quanti fúerit, nunc desídero.
He. Aliénus quom eius incómmodum tam aegré feras,
Quid mé patrem par fácere est, quoi ille est únicus?
Er. Aliénus ego? aliénus ille? ah, Hégio!

---

trarium tamen volentis. Cf. Bothius ad Terent. Eunuch. 229. qui tamen diversa miscet.

19. *Rursus* e Cod. Sur. dedi. Vulgo *rursum*.

26. *Miser macritudine*. Cod. Sur. *misera macritudine*, atque ita Codd. plerique omnes, praeter quosdam, qui *ut miser macr.* quemadmodum etiam Edd. Pr. Med. Sed recte *miser macr.* exhibet iam Ed. Parm. atque ita citat Nonius pag. 136. Merc. Neque aliter patitur metrum; nam prima in v. *macritudine* producitur, et *miser* monosyllabum est.

28. Vulgo *aliquantillum*, quod primus Cam. introduxisse videtur. Priores Edd. omnes *aliquantulum*, quibus consentiunt Sur. Gu. uterq. Leid. C. et aliquot apud Avell. Ex omni Latinitate unus hic locus exstat, e quo v. *aliquantillum* laudatur, quod ipsum iam suspicionem movet.

30. *Ego non defleam*. Ita metri necessitate scribendum. Cod. Gu. membr. *Egone* ^{non} // *defleam* (sic) quae scriptura ostendit fontem corruptionis. Fuit enim haud dubie in archetypo scriptum: *Ego ñ defleam*, e quo alii fecerunt *ego non*, alii *egone*, alii coniunxerunt utrumque. Unde fluctuant Codd. inter lectiones: *egone non*, *ego me non*. Bosscha scripsit: *egon' non*, quod alienum puto ab elegantia Plautina.

34. *Quom quae in potestate h.* *Quom* scripsi e Cod. Sur. Locum excitavit Alb. de Eiib in marg. poet. nulla varietate.

35. *Potitust hostium*. Cf. quae dixi supra ad I, 1, 24.

37. *Quom* Cod. Sur.

38. *Quoi ille est*. Ita Cod. Sur.

39. *Ah, Hegio*. Ita Codd. Vulgo *ha, Hegio*.

Nunquam ístac dixis, néque animum induxís tuum.
Tibi ille únicust, mi etiam único magis únicus.
He. Laudó, malum quom amíci tuum ducís malum.
Nunc hábe bonum animum. *Er.* Heu, heu! *He.* Huic illúd dolet,
Quia múnc remissus ést edundi exércitus.
Nullúmne interea náctus's, qui possét tibi
Remíssum, quem dixi, ímperare exércitum?
Er. Quid crédis? fugitant ómnes hanc províciam,
Quoi obtígerat, postquam cáptu'st Philopolemús tuus.
He. Non pól mirandum est, fúgitare hanc províciam.
Multís et multigéneribus opúst tibi
Milítibus; primum dum ópus est Pistoriénsibus.
Eorúm sunt aliquot génera Pistoriénsium.
Opúst Paniceis, ópus Placentinís quoque,
Opus Túrdetanis, ópus est Ficeduléensibus;

---

42. *Quom* Cod. Sur. qui idem *dicis*, ut plerique. Sed recte alii *ducis*, quibuscum facit Alb. de Eiib l. c.

43. *Heu*, *heu* scripsi e Cod. Sur. Vulgo *eheu*. Multum turbant Codd. Ultima in *animum* non coalescit.

44. *Edundi* Cod. Sur. Voss. B. Vulgo *edendi*. In Cod. tamen Sur. hic ordo est: *Quia nunc edundi remissus est exercitus;* unde scribendum coniicio: *Quia nunc edundi missus est exercitus*. Caussa corruptionis patet. Ceterum in Cod. Lang. *nunc* omittitur.

46. *Remissum quem dixi*. Ita cum Bosscha scripsi e coni. Lambini. Vulgo *dixti*, atque ita omnes Codd. praeter Leid. B., qui *dixisti*, et Cod. Cam. teste Taubm., ubi *dixit*, pro quo malebat Taubm. *duxit* sc. filius meus, quod in metrum peccat. Palm. et Par. *duxti*, quod Gronov. Obs. I, 1. defendit. Errorem ortum esse puto ex falsa personarum praenotatione. Nam in Cod. Sur. interiectio *heu heu* in v. 43. tribuitur Hegioni, cui reliqua illius versus; tum a vv. *Nullumne interea* parasitus loquitur; deinde vv. *Quid credis* praefigitur *Hegio*. Atque ita porro, donec versus *Habe bonum animum* cet. Hegioni continuantur.

48. *Quoi obtigerat*. Codd. *Quod obtigerat*. Vitium ortum ex non intellecta structura. Recte explicat Lambin. *Omnes*, *quisque suo loco*, *cui provincia obtigisset*. Graeci ita frequentius, veluti Euripid. Androm. 180. *στέργουσιν*, *ὅστις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλει*. Ceterum superiore versu scriptum est in Sur. *hanc omnes provinciam*, quem ordinem verum puto, tametsi nolebam a vulgata recedere propter unius Cod. auctoritatem. Tum Cod. Sur. et Ed. Pr. *postquam captus Ph. t.* omisso *est*, fortasse recte, ita ut versus pronunciandus sit: *cáptu' Philópolemús tuus*. Aliam rationem iniit Bosscha, qui scripsit: *Quoi óbtigerát postquám captúst Philópolemus*, inficeto versu. Ego non discedendum puto a vulgata, licet quattuor breves syllabae concurrant in uno trochaeo, de quo numerorum vitio cf. quae disputavit Hermannus in Elem. Doctr. metr. pag. 131. seqq. Excusatio huic loco est a nomine proprio. Integer autem hic versus abest ab uno Cod. apud Avell. et a Gu. membr. Alii Codd. omiserunt vv. *Quoi obtigerat*.

52. Vulgo: *genera aliquot*, labante versu. Verum ordinem praebent Codd. Sur. Gu. uterq. Leid. A. Voss. B.

53. *Opust*. Vulgo *opus*. Codd. plerique *opus Paniceis est*. Ed. Parm. *Opus est Pan.*

Iam máritumi omnes mílites opus súnt tibi.
Er. Ut saépe summa ingénia in occultó latent!
Hic quális imperátor nunc privátus est!
He. Habé bonum animum. nam íllum confidó domum
In hís diebus mé reconciliássere.
Nam hic éccum captivum ádulescentem 'Alium,
Prognátum genere súmmo, et summis dívitiis:
Hoc íllum me mutáre, confidó fore.
Er. Ita dí deaeque fáxint. *He*. Sed num quó foras
Vocátus es ad coénam? *Er*. Nusquam, quód sciam.
Sed quí dum id quaeris? *He*. Quía mi est natalís dies;
Proptérea te ad coenam vocarí volo.

---

55. Versus citatur ab Nonio pag. 482. Ed. Mer. *Marit u mi* scripsi cum Cod. Sur.

58. *Habe bonum animum*. Vulgo *Habe modo bon. a.* Sed *modo* abest in Codd. Sur. Gu. utroq. tribus apud Bosscham. Neque ulla est caussa, cur intrudi velis *modo*.

59. *Reconciliassere* est infinitivus futuri exacti, unde in recentiori Latino sermone prognatae sunt verborum desiderativorum formae. Pro *levavero* enim, solenni permutatione litterarum *r* et *s*, primum factum *levaveso*, unde *levdso*, *levasso*; *petivero*, *petiveso*, *petíso*, *petisso*. Quod amplius deinde productum etiam flexionem modorum subiit, quare *turbassitur* Cic. de Legg. III, 4, 11. *iussitur* Cato de R. R. 14. Infinitivus *expugnassere*, *reconciliassere* persaepe apud Plautum. Distinguendae tamen sunt diligenter verae frequentativorum formae, ut *facesso*, *capesso*, *lacesso*. *arcesso*; quas licet ortas ex illo futuro, tamen posterior sermo diligenter discriminavit. *Licessit*, quod pro *liceat* legitur Asin. III, 3, 13; *prohibessit*, *potessit*, *incipessim*, alia huiusmodi sunt coniunctivi praesentia et licenter videntur procusa esse ad formam futuri exacti illius, quod tum in coniunctivi notionem transiit, quia futurum et coniunctivus natura sua sunt cognata.

60. *Captivum adulescentem*. Ultima in *ad*. non eliditur. Ceterum vulgo *Nam eccum hic*, sed recte Cod. Sur. eo ordine, quo dedimus. Idem tamen Cod. *ad u lescentem captivum*, qui ordo correctoris manum arguit. *Captivum adul.* etiam Gu. uterq. Leidd. apud Bosscham, qui tamen alterum illum ordinem praetulit, scripsitque: *Nam éccum hic adolescéntem captivum 'Alium*, non recte; praeponendum enim est v. *captivum*, quod gravioris est ad sensum momenti.

61. *Divitiis* per synizesim ut trisyllabum est pronunciandum. Cf. quae notavi ad Trin. I, 2, 3.

64. *Vocatus es ad coenam*. Vulgo *es* deest. Exhibet tamen Cod. Sur., idemque ex Codd. antt. se addidisse testantur Editores Parm. Necessarium est.

65. *Sed qui dum*. Vulgo legitur: *Sed quid tu id q.* Cod. Sur. *Sed quid dum hoc queris*. Cod. Gu. uterq. *sed quid dum id q.* atque ita Edd. Pr. Parm. *Sed quidum id q.* Ed. Med. Recte iam Charp. *S. quidum id q.* de qua formula vide quae ad hunc locum disputavi in maiori trium Comoediarum Plauti editione.

66. Vulgo: *Propterea te vocari ad coenam volo*, ad quem hiatum devitandum alii *mi* post *vocari* interposuerunt, alii peius etiam *vocarier* scripserunt. Veram viam ostendit Gu. membr. ubi eo ordine est, quem dedimus; *te* non liquescit. Vv. *ad coenam* vel sine Cod. praeponenda erant.

Er. Facéte dictum. *He.* Séd si pauxillúm potes
Conténtus esse. *Er.* Nae perpauxillúm modo;
Nam istóc me assiduo víctu delectó domi.
He. Age sís, roga. *Er.* Emtum, nísi qui meliorem ásferet,
Quae mi átque amicis pláceat conditió mágis,
Quasi fúndum vendam, meís me addicam légibus.
He. Profúndum vendis tú quidem, haud fundúm mihi.
Sed sí venturus, témperi. *Er.* Hem vis iam? ótiumst.
He. I módo, venare léporem; nunc ictím tenes.
Nam meús scruposam víctus commeát viam.
Er. Nunquam ístoc vinces me, Hégio, ne póstules;

---

67. *Pauxillum potes.* Ita Codd. omnes praeter Sur. ubi, ut Lambinus volebat, *pauxillo.* Male et ex interpretatione. *Pauxillum contentus* non significat *parvo contentus* sed *aliquatenus contentus*; ein wenig zufrieden. Respondet parasitus, id pauxillum perparvum esse, nam istum victum, hoc est, illud *paullum esse contentum*, se domi habere, nec foris sibi quaerendum esse.

70. Vulgo: *Age sis roga. Er. Emin tu? He. nisi qui meliorem afferet.* Codd. omnes *roga*, quod nihili putabat esse Salmasius, Hegionem ratus invitationem suam adiuncta prece repetere, unde *rogo* scribendum esse censebat. Tum iidem Codd. *emtum* sive *emptum* omnes. Rectissime. Sed quidam Codd. in eo errant, quod ante h. v. nullam personae notam ponunt, sed verba Hegioni continuant, quod falsum esse, sequentia ostendunt. Respondet autem his verbis parasitus, vocem *roga* recte accipiens, ex formula in venditionibus solenni. Rogabantur venditores, ut pretium indicarent. Cf. Briss. de formulis et sol. P. R. verbis pag. 491. In quam rem appositus est Persae locus Act. IV, 4, 36. *Indica, fac pretium. Do. Tua merx est, tua indicatio est.* cet. Dixerat igitur Hegio *Age sis, roga, quanti* i. e. quam laute *mecum coenare velis.* Cui respondet parasitus, nihil curans pretium: *Empta res est*; caute tamen addit: *nisi qui meliorem conditionem afferet.*

72. *Quasi fundum vendam.* Ita vulgo. Cum vulgata consentiunt Codd. omnes et Edd. vett. *Vendens* dedit primus Camerarius, nisi fallor. Sensus est: Sic ego rem transigo, quasi fundum vendam; ita quoque me meis addicam legibus, mea conditione utar; quod eo spectat, quod dixerat, tum demum rem sibi emptam velle, nisi qui meliorem conditionem afferret.

74. *Hem vis iam? otiumst.* Vulgo: *hem! vel iam otium est,* quemadmodum edidit Camerar. Codd. Sur. Gu. uterq. Leid. C. *emulis iam.* Alius Cod. apud Turneb. *hem mulis iam.* Leid. A. *silvis iam.* Edd. Pr. Med. *aemulis iam.* Ed. Parm. *hem mihi iam* e Codd. antt. ut testantur Editores. Codd. Avell. *emulis iam* et *aemulis iam.* Glossa in Cod. Regio apud Avell. *aliter en vel iam.* Codd. Pall. teste Bothio *em lis iam.* Mihi non dubium est, maxime palaeographicas rationes reputanti, *hem vis iam,* scribendum esse. Nihil enim saepius accidit, quam ut *v* et *l* commutentur et confundantur, vel producta paullo longius, vel adducta brevius altera linea in litteris istis. Unde quum aliquis legisset *hem lis* vel *em lis* pro *hem vis*, facilis erat lapsus in vocem *emulis* et *aemulis.*

75. *Nunc ictim tenes.* Vulgo *erim*, quod monstrum est verbi. *Irim cenes* Cod. Sur *itim tenes* Gu. uterque. Reliqui omnes fluctuant inter *irim. ihrim, itim, yrim, ytim, itum.* Salmasius Plin. Exerc. p. 277. *herem*, Scaliger *cirim*, alii *i, rem tenes* emendandum suaserunt. Proxime ad Codicum lectionem accedit Laelii Brisciolae coniectura, qui *ictim tenes* legendum censuit. Cf. Taubmannum ad h. l. De *ictide* adeundus est Plinius Hist N. XXIX, 4.

Cum cálceatis déntibus veniám tamen.
He. Aspér meus victust sáne. *Er.* Sentisne ésitas?
He. Terréstris coena est. *Er.* Sús terrestris béstia est.
He. Multís oleribus. *Er.* Cúrato aegrotús domi.
Numquíd vis? *He.* Venias témperi. *Er.* Memorém mones.
He. Ibo íntro, atque intus súbducam ratiunculam,
Quantíllum argenti mi ápud trapezitám siet.
Ad frátrem, quo ire díxeram, mox ívero.

Actus II. Scena I. *)

Lorarii, Philocrates, Tyndarus, Captivi.

(*Canticum.*)

Lor. Si di ímmortales íd voluere, vós hanc aerumnam éxsequi
Decet íd pati aequo ánimo; si id faciétis levior lábor erit.
Domi fuístis, credo, líberi.
Nunc sérvitus si evénit, ei vos mórigerari mós bonust,
Eámque herili império ingeniis vóstris lenem réddere.
Indígna digna habénda sunt, herus quaé facit.

---

79. *Sentisne.* Ita Codd. Sur. Gu. uterq. *Victust* scripsi e Cod. Sur. ubi *victus est sane.* Vulgo *victus sane est.*

82. *Temperi* pro *tempori* est hic et supra v. 74. in Cod. Sur. Non credo veram esse scripturam. Prisca enim vocabuli declinatio proditur verbo *temperare.* Recte igitur Codd. Cam. et Langg. *temperi*, ut enotavit ad h. l. Scioppius.

*) Scena haec cantico constat, quod a Lorariis aliisque servis, qui una cum captis in scenam prodeunt, et ipsis captivis, Tyndaro et Philocrate, cantatur et agitur. Multa autem inest affectuum, actionis et gestuum alacritas. Servi ex altera parte astant, captivos observantes et consolantes, comitantes etiam curiose et sequentes, quocunque illi gressum promoveant. Ex altera astant Tyndarus et Philocrates, primum plorantes; tum tranquilliores facti seorsim concedunt secumque soli colloquuntur. Quo facto, herus ubi in sequenti scena procedit, servi abeunt. Huic actionis alacritati respondent metra versuum, varie mixta varieque mutata. Primum iambici varii generis; tum cretici, bacchiaci, glyconei versus, variae clausulae, denique omnibus affectibus sedatis, trochaei, omnia quadam tranquillitate componentes.

2. *Aequo animo.* Sic recte Codd. Sur. Gu. uterq. et reliqui, quos sciam. Vulgo *animo aequo*, quod falsum esse iam docet sententiae vis, quae inest in epitheto. Tum *labor erit* iidem Codd. rectissime; vulgo *labos erit.* Ultima in *aequo* non eliditur.

3. Est iambicus dimeter. *Domi* monosyllabum, *fuistis* disyllabum.

5. *Eamque herili.* Sic vulgo. Plurimi Codd. et Ed. Pr. *Eamque et herili.* Codd. Cam. et Lang. *Eamque et erili.* *Eamque herili*, ut vulgo, Cod. Gu. chart. Videtur mihi *et* ortum esse ex *e* ultima vocis antecedentis et *h* prima sequentis vocis littera, unde Codd. aliquot *et erili.* Pareus dedit *ex herili*, quod nihili. Ceterum recte expedivit sensum loci Bothius, explicans: eamque per ingenia vestra facere *lenem*, i. e. facilem, non renitentem herili imperio.

6. Versus est iambicus senarius.

Capt. Oh, oh, oh!
Lor. Eiulátione haud ést opus; multa óculis misera cúditis.
In ré mala animo sí bono utare, ádiuvat.
Capt. At nós pudet, quia cúm catenis súmus. *Lor.* At pigeat póstea
Nóstrum herum, si éximat vínculis,
Aút solutós sinat, quós argento émerit.
Capt. Quid á nobis métuit? scimús nos,
Nóstrum officiúm quod est, si solutós sinat.
Lor. 'At fugam fíngitis. Séntio quam rém agitis.
Capt. Nós fugiamus? Quó fugiamus? *Lor.* 'In patriam. *Capt.* Apage! haud nós id deceat,
Fúgitivos imitári. *Lor.* Imo edepol si érit occasio haúd dehortor.
Capt. 'Unum exoráre vos sínite nos. *Lor.* Quídnam id est?
Capt. 'Ut sine hisce árbitris atque vóbis, nobis
Détis locum loquéndi.

---

7. Captivorum ploratio extra metrum est. Vulgo superiori versu adhaeret.
8. Vulgo editur: ***Eiulatione haud opus est; oculis multam miseriam additis.*** Vehementer turbant Codices. Sed Cod. Sur. etiam hoc loco veram emendandi viam ostendit et minus ceteris corruptam servare videtur lectionem: ***Eiulatione haud opus est multa: oculis multa mira cuditis.*** In quibus primum illud alterum *multa* supervacaneum et male repetitum ostenditur, unde sequitur distinctionem ante v. *multa* esse collocandam. Tum pro *mira* rescribendum esse *misera* et sententia docet, et aliorum Codd. lectio evincit, et per se probabile est, quia in vetere antigrapho haud dubie compendium fuit scripturae *mīra*, quod est misera. *Cuditis* autem, quod idem habet Cod. Sur., haud dubie verum, a quo qui discesserunt, loquendi formulam *oculis cudere aliquid* non intellexerunt, quae significat, aliquid clare et manifeste edicere, ita ut ex ipsis oculis quasi legi queat; quasi oculis exprimere. Graeci in tali re *πλάττειν* dicunt. Ducta est translatio a nummis, qui, prout cuduntur, id indicant. Simili modo Plaut. Epid. III, 4, 40. *Quas tu mihi tenebras cudis?* i. e. indicas, edicis; ubi tamen aliquot Codd. *trudis*. Aliud est Pseud. II, 2, 20. *Nam hacc mihi incus est; procudam ego hodie hinc multos dolos.*
11. *Nostrum herum, si eximat.* Versus habet tres creticos. Amat Plautus in proodicis ternum pedum numerum. Sic infra in hoc ipso cantico recurrunt tres bacchei, et Act. III, 2, 2. tres cretici. Vulgo atque in omnibus Codd. legitur: *si vos eximat. Vos* ad sensum et metrum supervacaneum recte sustulit Hermannus. Sed idem etiam v. *vinculis* delevit, quod improbandum. *A vinculis* Cod. Gu. membr.
13. Versus est bacchiacus trimeter, quem cur emendandum et in creticum numerum transformandum quis existimet, non video.
15. *Fugam fingere* est meditari, moliri fugam. De qua verbi significatione agit Nonius pag. 308. qui hoc Lucilii exemplum excitat: *Si fuga fingitur, timido vadit pede percitus.* Tum *rem agitis* omnes Libri. Hermannus *rem agis*, ut choriambum in creticis evitaret. Id ego sic faciendum arbitratus sum, ut syllabas potius *sentio quam* pro Cretico habendas indicarem, v. *rem* autem non elidendum esse ostenderem. De indicativo adeatur nota ad h. l. in maiore editione trium Comm. Adde Plin. Epp. VII, 20. *Nescio quo loco iungimur*
16. 17. Sunt duo trochaici tetrametri acatalecti, quos excipiunt cretici cum clausula sive catalexi.
19. 20. *Hisce.* Codd. et Edd. vett. *hisce.* Vulgo *his.* Tum *atque vobis*

Lor. Fíat; abscédite hinc! Nós concedámus huc.
Séd brevem orátionem íncipesse. *Ph.* Hém mi istuc
Cértum erat. Cóncede huc.
Lor. 'Abite ab istís. *Tyn.* Obnoxii ámbo vobís sumus
Própter hanc rém, quum, quae vólumus nos, cópiae
Fácitis nos cómpotes.
Ph. Sécede huc núnc ïam, sí videtúr procul,
Ne árbitri dícta nostra árbitrarí queant,
Neú permanét palam haec nostra fallácia.
Nám doli nón doli súnt, nisi astú colas,
Séd malum máxumum, si íd palam próvenit.
Nám si herus tú mihi es, atque egomet ésse tuum

---

nobis Detis locum loquendi. Ita Libri omnes, nisi quod Cod. Sur. *modum* pro v. *locum* et Ed. Charp. *atque a vobis nos Detis*, unde Hermannus scribendum existimabat: *Atque a vobis nos detis loquendi locum*, ut esset creticus tetrameter. Apertior tamen clausula est: *Detis locum loquendi*, quam ut obscurari ea possit. Superior autem versus aut molossum habet in fine pro cretico, aut creticus est catalecticus, quasi aditum faciens ad clausulam eamque iam praeparans:

Ut sine hisce árbitris átque vo — bis, nóbis
Détis locum loquéndi.

Hermanni ratio propter inusitatum dicendi genus: *locus loquendi nos* haud probanda esse videtur.

22. *Incipesse* recte scribitur. Est enim *incipessere* desiderativum ut *capessere, facessere*. Libri variant sic: *incepesse*, *incepisse*, *incipisse*, *incipisce*, *incepisce*. *Incipesse* tamen plurimi eorum exhibere videntur, quos contulit Bosscha. Tum *Hem mi istuc*, ut metrum flagitat, Cod. Gu. membr. Vulgo: *Hem istuc mihi*.

24. Ita Codd. atque Edd. omnes, in qua lectione nihil mutandum. Penultima in *abite* pro brevi, ut saepe, accentu in prima praevalente. *Obnoxii* aut scribendum aut pronunciandum tanquam trisyllabum.

25. *Quum quae.* Cod. Sur. *cunque.* Alii, teste Scioppio, *cum quam*, *cum qua*. Recte Leidd. apud Bosscham, ut dedimus. Vulgo *cum quae*. Tum pro vv. *copiae Facitis* C. Sur. ut vulgo, *copia est ea facitis*, atque ita Vossiani et Leidd. A. B. Sed Leid. C. *copia ea f.* omisso *est*. Atque ita etiam Cod. Gu. uterque; quare recte Herm. videtur scripsisse: *copiae facitis*. Nam *copiae aliquem compotem facere*, ex consueta abundantia Plautina. Ordo est: *quum eorum*, *quae volumus*, *copiae nos compotes facitis*, h. e. eorum copiam nobis praebetis. *Rei copiam habere* quum dicatur, amplius hoc produxit Plautus h. l. dicens: *compotem rei copiae facere*. Locutionis asperitas emollitur, quod alter genitivus h. l. omittitur.

32. Vulgo et in Codd. Sur., omnibus apud Bossch. Gu. utroque: *Nam si herus mihi es tu* metro perturbato. Ed. Parm. *Nam si mihi herus es tu.* Recte ordinavit Herm. Tum vulgo: *atque ego me tuum esse servum assimulo.* Cod. Sur. *atque ego me tuum esse servum assimulabo.* Cod. Gu. membr. om. *esse.* chart. *ego me esse tuum s. assimulo.* Eiiciendum videbatur quibusdam *esse*, propter vagam eius in Codd. sedem Hoc autem si fiat, *ego* ultimam producet, quod nusquam invenitur hac aetate factum. Ergo scribendum *egomet*, ceterum retinenda lectio Gu. chart. *Aliquem assimulare* affertur ex Ovid. Met. XIV, 658. *Assimulavit anum.* Fortasse ita legendum Poenul. II, 1, 57. *Isque ut assimularet peregrinum aliunde ex alio oppido*, ubi vulgo: *Isque se ut a.*

Sérvum assimuló, tamen viso opust, cauto opust,
Ut hoc sóbrie sineque árbitris
Accúrate agátur, docte ét diligénter.
Tanta íncepta rés est; haud sómniculóse hoc
Agéndum est. *Tyn.* Ero, út me volés esse. *Ph.* Spéro.
Tyn. Nam tú nunc vidés pro tuó caro cápite
Carum ófferre mé meum capút vilitáti.
Ph. Scio! *Tyn.* At scire meménto quando id, quód voles, habébis.
Námque máxuma párs fere
Mórĕm húnc hominés habent:
Quód volúnt sibi, dum ímpetrant,
Súnt boni; séd id ubi iám penes sése habent,
Ex bonis péssumi et fraúdulentíssumi
Fiunt. Nunc út mihi té volo, esse aútumo.
Quód tibi suádeam, suádeam meó patri.
Ph. Pól ego te, si aúdeam, meúm patrem nóminem.

---

33. Vulgo: *cauto est opus;* sed *c. opus est* Codd. Sur. Gu. uterq.
34. Dimeter iambicus transitum faciens ad bacchiacos.
35. Vulgo: *Accurate hoc agatur.* Sed v. *hoc* aperte ab se segregat metrum, qua de caussa recte delevit Herm. In Cod. Gu. utroque superiori versu *hoc* desideratur, unde probabile est, ex eo loco in hunc transgressum esse.
39. *Carum offerre me meum.* Vulgo *me* deest, quod facillime excidere potuisse nemo non videt. Metri caussa interposuit Hermannus. *Vilitati offerre* recte explicuit Douza *venale habere* et proinde nihili aestimare.
40. *Sció. At scire meménto.* Propter personae mutationem nihil offendit hiatus in v. *scio.* Quem ut evitaret Herm. interposuit *tum* post v. *scire*; *tunc* iam interposuerant Edd. Parm. qui ad versus integritatem se addidisse testantur. Ceterum in nullo est Codice. Versus est iambicus tetrameter catalecticus, de quo genere vide Herm. Elem. doctr. metr. pag. 146., a bacchiacis transitum faciens ad glyconeos.
41. Sequuntur tres glyconei. Vulgo primus versus legitur: *Nam fere maxima pars.* Atque ita Codd. quod sciam omnes. Lenissima esset emendandi via, si sensus admitteret: *Nam fere pars maxuma.* Sed adiectivum necessario anteponitur. Quare legendum putavi *Namque maxuma pars fere*, quod errori facile fuit obnoxium, postquam semel *nam* pro *namque* scriptum est. Cf. quae infra diximus ad Act. III, Sc. 1, v. 18.
42. *Morem* ultimam coalescere non sinit.
43. Vulgo: *Quod sibi volunt, dum id impetrant*, sed *id* recte abest a Cod. Sur. Gu. membr. et duobus Regg. apud Avellinium. Consequens erat, ut scriberetur: *Quod volúnt sibi.* Nisi forte quis existimet pronunciandum: *Quod sibí volúnt, dum impetrant.*
44. Sequuntur cretici. Vulgo: *boni sunt*, et ita Codd. Sed recte iam Bosscha numerum creticum restituit. Idem tamen cur contra Codd. fidem *penes iam* scripserit, non intelligo.
46. *Fiunt.* Ita recte Hermannus et sententia et metro efflagitante. Vulgo *sunt.* Cetera vulgo sic leguntur: *Nunc ut te mihi volo esse, esse autumo*, quae emendata exhibent Codd. Sur. Gu. uterque, Langg. et Leidd. et Voss. apud Bossch., ut dedimus. *Esse* bis exaratum est in uno Camerarii. Receptam lectionem tuetur etiam Ed. Pr.

Nám secundúm patrem tu és pater próxumus.
Tyn. Aúdio. *Ph.* Et proptérea saepiús te, ut memíneris, moneo.
Nón ego herus tibí sed servus súm. Nunc obsecró te hoc unum:
Quóniam nobis di ímmortales ánimum ostenderúnt suum,
Ut qui herum me tíbi fuisse atque ésse nunc conservóm velint;
Quód antehac pro iure ímperitabam meó, nunc te oro pér precem,
Pér fortunam incértam et per mei te érga bonitatem pátris,
Pér conservitiúm commune, quod hóstica evenít manu,
Né me secus honóre honestes, quam, quom servibás mihi,
'Atque ut qui fuerís, et qui nunc sís, meminisse ut mémineris.
Tyn. Scío quídem me te ésse nunc, et te ésse me. *Ph.* hem istuc sí potes
Mémoriter meminísse, inest spes nóbis in hac astútia.

Actus II. Scena II.

Hegio, Philocrates, Tyndarus.

Iam égo revortar íntro, si ex his quaé volo exquisívero. —
'Ubi sunt isti, quós ante aedes iússi huc producí foras?
Ph. 'Edepol tibi ne quaéstioni essémus, cautum intéllego;

---

49. *Prox u mus* scripsi e Cod. Sur. Vulgo *prox i mus.*

50. Sequuntur duo trochaici tetrametri acatalecti, quibus finitur canticum. Ita aptissime trochaico rhythmo componuntur ac sedantur affectus. *Te* non eliditur.

51. Cod. Sur. hunc versum sic exhibet: *Non ego herus sed tibi servus sum. nunc te obsecro hoc unum.* Sed vulgata recte se habet.

52. Hoc ordine vulgo et Codd. Langg. et Cam. aliique. *Quoniam dii immortales nobis* Cod. Sur. quod fortasse verum.

53. *Esse* pyrrhichius est. Cf. Plaut. Merc. V, 4, 1. *'Ad patrem ibo, ut mátris iram sibi esse sedatám sciat.* Cf. quae dixi in Add. ad Cic. Rhetor. pag. 703. et ad Prisc. opp. min. pag. 388. *Conservom* dedi e Cod. Sur. ubi *conservo n.*

54. *Quŏd ăntehāc.* Anapaestus pro trochaeo.

55. *Mei erga te* habent Sur. et Gu. chart. *me erga te* Gu. membr. fortasse recte. Sed reliqui, quod dedimus.

56. Vulgo: *perque cons.*, pro quo Bothius *perque serv.* Sed *que* mihi videtur ortum ex compendio *con* praepositionis in vocabulo sequenti.

57. Codd. quidam et vulg. male: *quam ego te cum serv.* Recte Cod. Sur. *quam quom serv.* quod scripsi.

58. *Atque ut qui fueris et qui nunc sis.* Sic libri omnes et vulgo. *Ut* bis positum, quemadmodum apud Graecos ἂν, post interposita multa verba, ne sensus obscuraretur. Ordo est: *ut memineris meminisse, qui fueris et qui nunc sis.* Ed. Pr. prius *ut* omittit, fortasse recte.

60. *Memoriter meminisse* Plauto familiare est. Amphitruon. I, 1, 261. *memoriter memorat.* Similiter Afranius in Vopisco loco a Charisio citato pag. 89. *memini memoriter.*

1. *Revortar* scripsi e Cod. Sur. et Gu. chart.

3. *Quaestion i* Codd. Langg. Gu. membr. Reliqui *qu a e stion e, qu e stion e.* Tum *intell e go* Cod. Sur.

'Ita vinclis custódiisque circummoeniti sumus.
He. Quí cavet, ne décipiátur, vix cavet, quom etiám cavet.
'Etiam cum cavisse ratus est, saépe is cautor cáptus est.
'An vero non iústa causa est, út vos servem sédulo,
Quós tam grandi sím mercatus praésenti pecúnia?
Ph. Néque pol tibi nos, quía nos servas, aéquomst vitio vórtere:
Néque te nobis, si abeamus hínc, si fuat occásio.
He. 'Ut vos hic, itidem íllic apud vos meús servatur fílius.
Ph. Cáptus est? *He.* Ita. *Ph.* Nón igitur nos sóli ignavi fúvimus.
He. Sécede huc, nam súnt quae ex te sólo scitarí volo,
Quárum rerum té falsiloquum mi ésse nolo. *Ph.* Nón ero,
Quód sciam; si quíd nescivi, id néscium tradám tibi.
Tyn. Núnc senex est ín tonstrina; núnc iam cultros áttinet.
Ne íd quidem involúcri inicere vóluit, vestem ut ne ínquinet.

---

4. *Circummoeniti* Edd. Parm. Cam. et Codd. plures apud Bosscham, ut vulgo. *Circummoniti* Leid. B. Ed. Pr. *Circummuniti* Codd. Sur. Gu. uterq. Leid. A.

5. *Quom* Cod. Sur. Fluctuasse ipsum vetus antigraphum videtur inter *quom*, *cuom*, et *cuum*, unde *cum* et *quom* in Codd. reperiuntur.

6. *Cum cavisse* h. l. libri omnes cum vulgata, excepta Parmensi, ubi *quum*.

8. *Praesentia pecunia* Cod. Sur. et alii.

9. *Aequomst*, *vitio vortere*. Codd. Sur. Gu. chart. *equum stultitie v.* Gu. membr. *aequum est stultitiae*. Codd. Langg. *aequomst v. v.* Edd. Pr. Parm. *aequum stultitiae v.* Fontem erroris monstrant Codd. apud Bosscham, e quibus Voss. A. *aequom stultio*. Leid. B. *aequum scultro*; quibus accedit Cam. vetus Cod. qui exhibet a m. pr. *aequom stultio*. Tum *vortere* Cod. Sur.

10. In vv. *si abeamus* v. *si* non eliditur.

12. *Fuimus* Codd. omnes. Scribendum esse *fuimus*, pronunciandum *fuvimus*, monuit Ernestius ad versum Ennii apud Ciceron. de Orat. III, 41. *Nunc sumu' Romani, qui fuimus ante Rudini.* Hoc si est verum, etiam *sumus* pro *sumu'* scribendum est. Probabile est, priscos etiam scripsisse *fuvimus*, quod alibi docebo. Cf. tamen Varron. L. L. IX, 60. et Sisennam apud Ruf. de metris Com. p. 2711. *Ignari* Codd. Sur. Voss. A. Gu. membr. *ignavi* recte reliqui.

13. *Quae ex te* Codd. Sur. et reliqui quos sciam omnes. *Ex te quae* ante Cam. nulla editio. Hiatus in v. *quae*.

15. *Si quid nescivi.* Ita omnes omnino Codd. atque Edd. nisi quod unus Reg. apud Avell. *nesciam*. *Nescibo* primus ed. Pareus, ex emend. Pistoris, qui refert, se in vetere Cam. Cod. *nescivo* a pr. m. scriptum invenisse. Sed tacet de hac re Scioppii collatio, qua de caussa nihil de Codd. lectione mutandum censui.

17. *Involucri.* Ita scripsi manuscriptorum librorum vestigia sequutus. Cod. Sur. Gu. chart. *involuere*. Cod. Gu. membr. *involucrea*. Ceteri omnes *involucre*. Bothius de Turnebi sententia dedit *involucrum*. *Involucre* vox est nihili. Ipsa loci sententia flagitat genitivum, ab v. *id* pendentem: *ne id quidem involucri — ut ne*. Nicht einmal soviel Hülle hat er ihm überwerfen wollen, dass cet. Res est manifesta. Vulgo, ut Codd. *involucre*, quod ex lexicis exterminandum est.

Séd utrúm strictimne áttonsurum dícam esse, an' per péctinem,
Néscio; verúm si frugi ést, úsque admutilabít probe.
He. Quíd tu? servosne ésse, an liber mávelis, memorá mihi.
Ph. Próxumum quod sít bonum, quodque á malo longíssume,
'Id volo: quamquám non multum fuít molesta sérvitus;
Néc mihi secus erát, quam si essem fámiliaris filius.
Tyn. Eúgepae! Thalém talento nón emam Milésium.
Nam ád sapientiam huius ille nímius nugatór fuit;
'Ut facete órátionem ad sérvitutem cóntulit.
He. Quó de genere nátu'st illic Philocrates? *Ph.* Polyplúsio,
Quód genus illic est únum pollens átque honoratíssumum.
He. Quíd ipsus hic? Quo honóre est illic? *Ph.* Súmmo, atque ab summís viris.
He. Tum ígitur ei cum in 'Aliis est tánta gratia, ut praédicas,

---

18. *Utrum — ne — an.* Nativa est disiunctivae interrogationis formula, πότερον — ἢ τοῦτο — ἢ ἐκεῖνο. Cf. Cic. Tuscul. IV, 27. *Utrum illudne non videatur aegre ferendum, ex quo suscepta sit aegritudo, an omnium rerum tollenda omnino aegritudo.* Cf. Görenz. ad Cic. Acad. II, 22. pag. 133. *Strictim* tondere est tondere ad cutem, ἐν χρῷ κείρειν.

19. *Admutilabit*, ut vulgo, scripsi e Cod. Sur. Alii *ammutilabit.*

20. *Servosne* Codd. Sur. Gu. membr. Langg.

21. *Bonum* Codd. Sur. Gu. uterq. omnes apud Bosscham praeter Leid. B. qui *bono.* Tum Edd. Pr. Parm. Volebat Gronov. *Proxime quod sit bonum*; non opus est. *Bonum* accusativus est, a v. *proxumum* pendens. Videntur mihi hoc discriminis statuisse veteres inter *proximus cum dativo*, et *proximus cum accusativo*, ut hoc ulterius ponerent in locali ac nativa significatione, ut est apud Cic. Att. I, 11. *proximus Pompeium sedebam.* Unde Plaut. Poen. V, 3, 1. *Quis pultat? Qui te proxumus est*, h. e. proxime te astat. Nam *qui tibi proximus est* cognationem significaret. Igitur illa cum dativo structura, ut plurimum translate dicitur, ut *quisque sibi est proximus*, de cura et amore. Ceterum *longissume* dicitur, quia subauditur *absit.*

24. *Eugepae.* Ita Gul. e Codd. Langg., ubi *Eugepel*; sed *eugepae* etiam Gruterus in Codd. se legisse astruit. Ceteri Codd. omnes *Eugepol*, vel *Eugepo*, vel, ut Sur., *Euge ob.* Lamb. sic distinxit: *Euge, pol Thalem.* Edd. vett. *Euge pol.*

25. *Ille* abest ab omnibus Codd. et Edd. vett. Addidisse videtur primus Camerar., quem Pareus et Douza sunt secuti, deinde reliqui. *Nam is ad sap.* omisso *ille* Ed. Parm. Bothius edidit *Nam pol ad sap.* existimans, *pol* illud plurimorum Codd. in superiori versu huc pertinere. Retinui Camerarii lectionem, quia pronomine demonstrativo opus esse videbatur.

28. *Illi* antiquiori forma pro eo, quod usitate est *illic*, ut saepe, scripsit Bothius. Codd. omnes et Ed. Pr. *illic est*, unde Bosscha *illic 'st*, quae elisio, nisi post *m* et vocales, locum non habet. Edd. vett. praeter Pr. *est* post v. *unum* collocant. Puto retineri posse *illic*, et duarum brevium haberi. Cf. supra I, 1, 26.

30. *Cum in Aliis est tanta gratia, ut praedicas.* Hoc ordine recte Codd. Sur. Gu. uterq. Leid. A. Vulgo *est* post v. *gratia* collocatur. *Gratia ut* trochaeum efficiunt per synecphonesim. Ceterum vulgo *Aleis* pro quo *aliis* Cod. Sur. aliique.

Quíd divitiae, súnt ne opimae? *Ph.* Unde éxcoquat sevúm senex.
He. Quíd pater? vivítne? *Ph.* Vivum, cum índe abímus, líquimus.
Núnc vivatne, néc ne, id Orcum scíre oportet scílicet.
Tyn. Sálva res est. philosophatur quóque iam, non mendáx modo est.
He. Quód erat ei nomén? *Ph.* Thesaurochrysonicocroesides.
He. Vídelicet proptér divitias íd nomen quasi índitum est.
Ph. 'Immo edepol proptér avaritiam ípsius ac tenáciam.
[Nam ille quidem Theodoromedes fuit germano nomine.]
He. Quíd tu ais? tenáxne pater eiúst? *Ph.* Immo edepol pértenax.
Quín etiam ut magis nóscas, Genio súo ubi quando sácruficat,
'Ad rem divinám quibus est opus Sámiis vasis útitur,
Ne ípse Genius súrripiat; proinde áliis ut credát vide.
He. Séquere hac me igitur. 'Eadem ego ex hoc, quaé volo, exquisívero.
Philocrates, hic fécit, hominem frúgi ut facere opórtuit.
Nám ego ex hoc, quo génere gnatus sís, scio; hic fassú'st mihi.

---

31. *Opimae.* Multi libri *optimae, optumae.* Cod. Sur. *insunt ne optumae.*

32. *Abimus* Cod. Sur. aliique. Vulgo *abiimus.* Est praeteritum syncopatum.

33. *Vivatne nec ne.* Emendatio, cuiuscunque est, verissima est. Codd. omnes *vivat nec ne.* Cic. pro Rosc. Com. 17. *Quaero enim poteritne Roscius ex societate partem suam petere nec ne.*

35. *Thesaurochrysonicocroesides.* Ita recte mihi videtur emendasse Bothius vulgatam *Thesaurochrysonicochrysides*, in qua repetitio *τοῦ χρυσοῦ* nihili est. Apparet, voluisse poetam etiam nomen viri indicare, quem ille aureo thesauro vinceret. Codd. fluctuant inter — *chrisides*, — *crisides*, — *crusides*. Saepe in Latt. Codd. *oe* et *u*, *oe* et *i* confunduntur.

36. *Id nomen quasi inditum est.* Ita Codd. Sur. Gu. uterq. Vulgo *id nomen inditum quasi est*, ubi *quasi* non suo loco positum.

37. Vulgo *atque audaciam*, atque ita Cod. Sur. aliique. *Atque tenaciam* Cod. Gu. membr. *ac tenaciam* iam coni. Acidalius.

38. Hunc versum suppositicium esse vidit Bothius. Infra enim III, 4, 100. nescit Hegio verum Theodoromedis nomen, quo tunc demum audito ex Aristophonte, fraudem sibi factam intelligit. Nisi forte statuas, hunc versum spectatorum caussa interiectum et ab actore averso ab interlocutore altero ad spectatores solos pronunciandum fuisse.

39. *Pertenax.* Ita Cod. Gu. membr.; vulgo *pertinax.* Ludit in ambiguitate vocabuli, quod etiam *pertinacem*, translato sensu, significat, cuius translationis propria esse videtur scriptura *pertinax.*

40. *Quando* omisso *ubi* Cod. Gu. membr. *quando* deest in Langg. *ubi quandoque* Sur. Tum *sacruficat* Sur. *sagruficat* Cod. Gu. membr.

42. *Ut credat vide.* Hoc est *vix credat.* Nam *vide ut* pr. est: *cura, quo pacto fiat*, quod non fieri probabile est. Contra *vide ne hoc fiat* est proprie: *cura quomodo hoc non fiat*, fieri autem credibile est, *fiet* igitur, ut opinor. Cf. quae notavi ad h. l. in maiori Ed.

43. *Exquisivero* Codd. Sur. Gu. uterq. Edd. Pr. Parm. Vulgo *exquaesivero.*

45. *Nam* non liquescit. *Gnatus* Gu. chart. Codd. apud Bosscham. *Natus* Sur. Gu. membr.

Haéc tu eadem si cónfiteri vís, tua e re féceris,
Quaé tamen scito scíre me ex hoc. *Tyn.* Fécit officium híc suum,
Quóm tibi est conféssus verum, quámquam volui sédulo
Meám nobilitatem óccultare et génus et divitiás meas,
Hégio; nunc quándo patriam et líbertatem pérdidi,
Nón ego istunc me pótius, quam te, métuere aequum cénseo.
Vís hostilis cum ístoc fecit meás opes aequábiles.
Mémini, quom dicto haúd audebat; fácto nunc laedát licet.
Séd viden'? Fortúna humana fíngit arctatque út lubet.
Mé, qui líber fúeram, servom fécit; e summo ínfimum.
Qui ímperare insuéram, nunc altérius imperio óbsequor.
'Et quidem si proínde, ut ipse fui ímperator fámiliae,
Hábeam dominum, nón verear ne iniúste aut graviter mi ímperet.
Hégio, hoc te mónitum, nisi forte ípse non vis, vólueram.
He. Lóquere audacter. *Tyn.* Tam égo fui ante líber, quam gnatús tuus.
Tám mihi, quam illi, líbertatem hostílis eripuít manus.
Tám ille apud nos sérvit, quam ego núnc hic apud te sérvio.
'Est profecto Déus, qui, quae nos gérimus, auditque ét videt.
'Is, uti tu me hic hábueris, proinde íllum illic curáverit.
Béne merenti béne profuerit, mále merenti pár erit.

---

46. *Tua e re.* Ita primus scripsisse videtur Cam. recte. Codd. Sur. Gu. chart. Langg. omnes apud Bosscham *tua re*, ut vulgo. Cod. Gu. membr. *tua ĩ re*, quod habet genuinae lectionis vestigium.

47. *Me scire* Langg. Reliqui omnes *scire me*, quod verum est; nam *tamen* aut monosyllabum est, aut ultimam etiam in positione brevem habet.

48. *Quom* Codd. Sur. Leidd.

50. *Hegio nunc patriam*, omisso *quando*, Codd. Sur. Gu. chart. Leidd. apud Bosscham, sed videntur exhibere Vossiani. Voces *Hegio nunc quando* desiderantur in Gu. membr. *Nunc* omm. Camerar. et Pareus. Recte *nunc quando*, ut vulgo, Edd. Pr. Parm.

54. *Arctatque.* Ita diserte in Cod. Sur. Vulgo *artatque;* Meurs. *aptatque.*

55. *Servom* scripsi e Cod Sur., ubi *servos.*

56. *Insueveram* Cod. Sur. Gu. membr. ut vulgo; sed *insueram* Gu. chart. Langg. omnes apud Bossch. ut videtur; Edd. Pr. Parm. Tum vocem *alterius* ita collocant omnes, unde colligitur, non verum esse, quod praecipitur, in familiari sermone *alterius* penultimam productam habuisse semper.

57. *Et quidem.* Sic Cod. Gu. membr. cum vulgata. *Et equidem* dedit Bothius. *Equidem* omisso *et* Cod. Sur. Leid. C. *Equidem si proin* Voss. B. Ceteri apud Bossch. *Et quidem*, quod verum. De formula *Et quidem*, καὶ δή, καὶ μὲν δή, cf. Horat. Tursell. sub h. v. et Schütz. in doctrina particular. pag. 176.

62. *Tām ĭlle.* Ita pronunciandum. Tum *quăm ĕgo núnc hic ápud te sérvio.* Non enim h. l. obscurare licet particulas *tam* et *quam.*

64. *Curaverit.* Futurum exactum cum notione opinionis. Cf. Cic. de Fin. I, 20. *Etenim si loca, si fana — adamare solemus, quanto id in hominum consuetudine facilius potuerit et iustius?* Virg. Aen. VI, 88. *Non Simois tibi nec Xanthus nec Dorica castra Defuerint.*

Quám tu filiúm tuum, tam me páter meus desíderat.
He. Mémini ego istaec. séd faterin' éadem quae hic fassú'st mihi?
Tyn. 'Ego patri meo ésse fateor súmmas divitiás domi,
Méque summo génere gnatum. séd te obtestor, Hégio,
Né tuum animum aváriorem fáxint divitiaé meae,
Né patri, tametsi únicus sum, decére videatúr magis,
Mé saturum servíre apud te súmptu et vestitú tuo,
Pótius quam illi, ubi mínime honestum est, méndicantem vívere.
He. 'Ego virtute Deum ét maiorum nóstrum dives súm satis.
Nón ego omninó lucrum omne esse útile homini exístimo.
Scío ego, multos lúcrum luculéntos homines réddidit;
'Est etiam, ubi profécto damnum praéstet facere, quám lucrum.
'Odi ego aurum; múlta multis saépe suasit pérperam.
Núnc hoc animum advórtito, ut ea, quae séntio, paritér scias.
Fílius meus fllic apud vos sérvit captus in Alide;
'Eum si reddis míhi, praeterea únum numum né duis;
'Et te et hunc amíttam hinc. alio pácto abire nón potes.
Tyn. 'Optumum atque aequíssumum oras, óptumusque hominúm es homo.
Séd is privatam sérvitutem sérvit illi, an públicam?
He. Prívatam medicí Menarchi. *Ph.* Pól hic quidem huius ést cliens.
Tam hóc quidem tibi ín proclivi, quam ímber est, quandó pluit.

---

66. *Tam me pater meus.* Recte hoc ordine Cod. Sur. Vulgo *tam pater me meus.*

67. *Istaec* Codd. Monac. Leid. B. Gu. membr. Vulgo *istoc*, atque ita Cod. Sur.

73. *Illi* Cod. Gu. membr. ut vulgo. Recte. *Illic* Codd. Sur. tres apud Bosscham, Gu. chart.

74. *Virtus Deorum* est ἐνέργεια, potestas, vis benefaciendi. Cf. Trin. II, 2, 74. Ibid. 65. Persa III, 1, 62. Aulul. II, 1, 44. 75. *Luculenti* dicuntur apud Plautum, qui a divitiis clari habentur et illustres; interdum etiam *res* ipsae, divitiae *luculentae* appellantur.

76. Vulgo *multos iam*, atque ita Cod. Sur. aliique. Abest iam a Cod. Leid. B., repetitur post v. *homines* in A. *Iam multos* Gu. membr. Librarius Cod. Gu. chart. h. l. duos versus contraxit, scripsitque *Non ego omnino lucrum luculentos homines reddidit* a voce *lucrum* sup. versus ad eandem in inf. aberrans.

80. *Illic.* Ita omnes Codd. Sine caussa *illi* scripsit Both. Tum *ăpŭd vos* pronunciandum, ut saepe. Deinde Cod. Sur. Gu. chart. Ed. Pr. *captus Aulide.* Gu. membr. *captus servit Aulide.* Sed *captus Alide* apud Bosscham omnes, ut videtur. *captus in Alide* Langg. *captus in Aulide* Parm. Scribendum *in Alide*, ut supra I, 1, 26.

81. *Praeterea* ultimam in hiatu habet.

83. *Opt u mum atque aequiss u mum* scripsi e Sur.

84. *Illi.* Ita vulgata cum Codd. apud Bosscham, exceptis duobus. Accedunt Edd. inde a Camerar. omnes. *Illic* Cod. Sur. Gu. chart., duo apud Bossch. Edd. Pr. Parm. *illic aut* Cod. Gu. membr. Fortasse verum *ĭllĭc an*; cf. paullo ante ad v. 28.

He. Fác is homo ut redimátur. *Tyn*. Faciam. Séd te id oro, Hégio. —
He. Quídvis, dum ab re né quid ores, fáciam. *Tyn*. Ausculta dúm, scies.
'Ego me amitti, dónicum ille huc rédierit, non póstulo.
'Vérum te quaeso, aéstumatum húnc mihi des, quem mittam ád patrem,
'Ut is homo redimátur illi. *He*. Immo álium potius mísero
Hínc, ubi erunt indúciae, illuc tuúm qui conveniát patrem,
Quí tua, quae tu míseris mandáta, ita, ut velis, pérferat.
Tyn. 'At nihil est, ignótum ad illum míttere; operam lúseris.
Húnc mitte, hic transáctum reddet ómne, si illuc vénerit.
Néc quemquam fidéliorem, néque cui plus credát, potes
Míttere ad eum, néc qui magis sit sérvus ex senténtia;
Néque adeo quoi tuúm concredat fílium hodie audácius.
Né vereare, meó periculo húius ego experiár fidem,
Frétus ingenio éius; quod me scit érga sese bénevolum.
He. Míttam equidem istunc aéstumatum tua fide, si vís. *Tyn*. Volo.
Quám citissumé potest, tam hoc cédere ad factum volo.
He. Núm quae causa est, quín, si ille huc non rédeat, vigintí minas
Míhi des pro illo? *Tyn*. 'Optuma immo. *He*. Sólvite istum núnc iam,

---

87. *Sed te id oro, Hegio*. Ita recte ex legibus et consuetudine sermonis, e quibus personale pronomen praeponendum, nisi ubi encliticum est. Codd. Sur. Gu. membr. Ed. Parm. *Sed id te oro, H.* Cod. Gu. chart. *Sed te oro id Egio*. Vulgatae consentiunt Codd. apud Bossch., ut videtur, et Ed. Pr. Ultima in *oro* non coalescit.

88. Cod. Sur. *Ausculta, tum scies;* atque ita omnes apud Bossch. Gu. membr. Sed recte *ausculta dum*, ut vulgo, Cod. Gu. chart. Langg. teste Gul.

90. Vulgo: *Verum te quaeso ut*, atque ita Codd. Sur. Gu. uterq. et reliqui, quos sciam, omnes. Recte Bosscha *ut* expunxit. *Verum quaeso te ut* Ed. Parm.

95. Vulgo: *Hunc mitte, hic omne transactum reddet*. Atque ita Cod. Sur. omnes apud Bossch. Turbant alii. Cod. Gu. membr. *Nunc micte hic omnem tr. r.* Gu. chart. *Nunc mitte, hunc omnem tr. r.* Lenissima videtur medicina transpositionis, qua usus est Bothius, quem secutus Bosscha est.

98. *Quoi* dedi e Cod. Sur.

100. Vulgo: *Quod me esse scit erga se b.* Atque ita Codd. plerique omnes, nisi quod Sur. *sese*; idque veram monstrat emendandi viam. Exterminandum enim *esse*, et v. *eius* pro monosyllabo accipiendum. Audacter Gul. ad h. l. *quod med esse scio erga benivolum*, subiuncta ratione: nam caussam mittendi habere debebat alterius in se benivolentiam, non suam in alterum. Male. Nam etiam filii in patrem benevolentia potest patrem adducere, ut filio gratum faciat. Et ne dubites, ita dici solere *benevolus*, cf. Cic. pro Cluentio c. 63. ubi dicitur *servus domino benevolus*. Ceterum *benevolus*, non *benivo.* Cod. Sur. *Sese* etiam Ed. Princ.

104. *Optuma immo*. Ita Cod. Cam. aliique, neque audiendi sunt, qui *optime imo*, ad consuetam illam formulam *imo optime*, *imo edepol optime*, reponendum censent. Cf. Gul. Quaestt. in Captiv. c. II. Ad Hegionis quaestionem, num quae sit caussa, quin viginti minas solvat, si ille in Elidem

Atque utrumque. *Tyn.* Dí tibi omnes ómnia optata ásserant,
Quóm me tanto honóre honestas, quómque ex vinclis éximis.
Hóc quidem haud moléstum est iam, quod cóllus collarí caret.
He. Quód bonis benefít beneficium, grátia ea gravida ést bonis.
Núnc tu illum si illo és missurus, díce, monstra, praécipe,
Quae ád patrem vis núnciari. Vín vocem huc ad té? *Tyn.* Voca.

ACTUS II. SCENA III.

HEGIO, PHILOCRATES, TYNDARUS.

Quae rés bene vortat míhi meoque fílio
Vobísque; volt te nóvus herus operám dare
Tuo véteri domino, quód is velit, fidéliter.
Nam ego te aéstumatum dédi huic vigintí minis;
Hic aútem te, ait, míttere hinc velle ád patrem,
Meum ut íllic redimat fílium, mutátio
Intér me atque illum ut nóstris fiat fíliis.
Ph. Utróque vorsum réctum est ingeniúm meum,
Ad te átque ad illum; pró rota me utí licet.

---

missus non redierit, respondendum erat: *nulla.* Sed urbanius dicere quum vellet, dixit: *optima.* Additum *imo* ostendit, plenam orationem hanc futuram fuisse *Nulla est caussa, quin fiat, sed optima potius ut fiat.* Cf. Gronov. ad hunc locum. Cod. Sur. *optume immo*, cui accedunt Leidd. apud Bossch. Sed Vossiani videntur exhibere *optuma i.*

105. De voc. *atque* eiusque significatione cf. quae ad h. l. notata sunt in maiori Ed. trium Com. Plauti. *Atque* est Oder vielmehr, oder lieber, oder aber auch. De alia h. particulae notione cf. infra ad III, 1, 21.

106. *Quom — quomque* e Cod. Sur.

107. Vulgo: *collus collaria*, atque ita Cod. Sur. *collum collario* Gu. membr. *collos collaria* Gu. chart. *Collus collario* Codd. Langg. De masculina forma *collus* constat ex Nonio pag. 200. Ceterum scribendum existimavi *collari*; nam *collarium* et *collaria* monstra sunt verborum, ex lexicis exterminanda. Sic supra h. sc. v. 8. in Sur. aliisque Codd. est *praesentia* pro *praesenti.* De voce *collare* constat ex Nonio pag. 36.

109. Vulgo: *dice, demonstra, praecipe,* atque ita Codd. quos sciam omnes, Edd. Pr. Parm. Primus videtur Camerarius edidisse *dice, monstra, pr.* quod verum, etiamsi non sit e Codice. Alii dederunt: *dic, demonstra, pr.* Non videtur huius loci verbum compositum.

2. Cod. Sur. *volt te bonus herus.* Sed recte Gu. membr. *volt te novus h.* Gu. chart. *bonus* a pr. m. sed corr. *novus.*

4. Cod. Sur. *estumatum.* Gu. uterq. *extumatum.* Vulgo: *aestimatum.* Tum *dedi*, ut vulgo, Codd. et Edd. omnes; *dedo* sine caussa Bothius.

9. Vulgo: *Ad te adque illum.* Cod. Sur. *ad te atque illum*, atque ita Codd. Gu. uterq. Camerarii, Langg. aliique. Omnes ignorant *ad* alterum, praeter Voss. A. cui assentiuntur Edd. Parm. Princ. Cam. aliaeque. Vulgata est e coniectura Rittershusii. Cf. Scioppii Suspectt. Lectt. V, 11. Mihi h. l. videtur necessaria praepositionis repetitio, quum *ad te et illum* significaret unam eandemque, non diversam directionem. Cf. quae notavi ad Rhetorem ad Herenn. III, 13. pag. 205 sq.

Vel ego húc vel illuc vórtar, quo imperábitis.
He. Tuté tibi a tuopte ingénio prodes plúrimum,
Quom sérvitutem íta fers, ut ferrí decet.
Sequere; — én tibi hominem. *Tyn.* Grátiam habeó tibi,
Quom cópiam istam mi ét potestatém facis,
Ut ego ád parentes húnc remittam núncium,
Qui mé quid rerum hic ágitem, et quid fierí velim,
Patrí meo ordine ómnem rem illuc pérferat.
Nunc íta convenit ínter me atque hunc, Týndare,
Ut te aéstumatum in 'Alidem mittam ád patrem.
Si nón rebitas húc, ut vigintí minas
Dem pró te. *Ph.* Recte cónvenisse séntio.
Nam páter exspectat aút me, aut aliquem núncium,
Qui hinc ád se veniat. *Tyn.* 'Ergo animum advortás volo,
Quae núnciare hinc té volo in patriam ád patrem.
Ph. Phílocrates, ut adhúc locorum féci, faciam sédulo,

---

11. Vulgo: *Tute tibi ea tuopte*, cum Codd. Sur. Gu. utroq. Langg., omnibus apud Bosscham et iis haud dubie, quibus usus est Avell., nisi quod Langg. *tuapte*, et Leid. B. *tua apte.* Lambino praeeunte vulgatam explicant *ea ratione.* Recte iam Boxhornius emendavit *a tuopte*, quem secuti sunt Brunck. Bosscha, Both. *A tuopte ingenio* est per tuum ipsius ingenium, vel quod attinet ad tuum ing. Nam *a* praep. saepe apud Plautum caussam significat, et propiorem et remotiorem, saepe etiam partem, unde quid ingruit. *Ab animo aeger* Epid. I, 2, 26. *Male valere a pecunia* Aul. II, 2, 9. *Ab ingenio improbus* Truc. IV, 3, 59. *A me pudica est* Curcul. I, 1, 51. Nostrates dicunt *von Seiten.* Ceterum *prodis* pro *prodes* exhibent Leid. C. Edd. Pr. Parm.

12. *Quom* e Cod. Sur.

13. *Sequere; en tibi hóminem.* Ita vulgatam emendandam esse, facile largietur, qui legerit, quae notavi ad Plauti Trin. prolog. 3., quae mox publici iuris fient. Non enim audiendum esse Göllerum, satis demonstrasse mihi videor. Vulgo: *Sequere. hem tibi hom.* atque ita Cod. Sur. Gu. membr., omnes apud Bossch. et alii. Sed recte Gu. chart. *S. en tibi h.* cum Ed. Pr. Quod in quibusdam Editionibus legitur, *hac* post v. *Sequere*, adiectum est de coni. ab Edd. Parm. ubi tamen etiam *en* habetur. Miror Bosscham potuisse ineptum illud *hac* recipere, quod Lamb. et Cam. ex Ed. Parm. in suas transtulerunt. — Tum soloece Bothius: *Gratias habeo tibi.* Cf. Ruhnken. in praefat. ad Schell. Lex. in Batav. edit. v. *Gratia* et Bentl. ad Ter. Andr. IV, 4, 31. Noli dubitare, recte dici *grátiám habeó tibi.* Cf. Mil. gl. V, 32.

14. *Quom* dedi e Sur.

17. *Ordine.* Cf. Terent. Eunuch. V, 4, 48. Heaut. IV, 3, 28. ubi: *ut recta via rem narret ordine omnem.* Adde Phorm. IV, 1, 14. Apud Plautum non solum *ordine narrare*, *perferre*, ut hoc loco, sed etiam *ordine demonstrare*, *ordine ire*, *ordine rem tenere*, aliaque similia dicuntur.

20. *Rebitas* h. l. primus dedisse videtur Camerar. *Reditas* Codd. Sur. Gu. uterq., omnes apud Bossch. (praeter Voss. A.) Edd. Pr. Parm. Sed *rebitas* Voss. A. et septem apud Avellin. De antiquo verbo *betere* cf. Nonius pag. 17. qui etiam compositum *perbitere* citat pag. 153.

23. *Animum advortas* e Cod. Sur.

25. Media in scena mutatur numerus et ab iambicis senariis transit ad

'Ut, potissumúm quod in rem récte condueát tuum,
Id petam, idque persequar corde et animo atque viribus.
Tyn. Fácis ita, ut te fácere oportet; núnc animum advortás volo.
'Omnium primúm salutem dícito matri ét patri,
'Et cognatis, ét si quem alium béne volentem víderis;
Me híc valere et sérvitutem sérvire huic homini óptumo,
Quí me honore honéstiorem sémper fecit ét facit.
Ph. 'Istuc ne praecípias, facile mémoria meminí tamen.
Tyn. Nam équidem, nisi quod cústodem habeo, líberum me esse árbitror.
Dícito patrí, quo pacto míhi cum hoc convénerit

---

trochaicos tetrametros. Eiusmodi metri mutatio in dialogis locum habere solet, ubi totius orationis et actionis color et affectus mutatur. Cf. Herm. Elem. doctr. metr. pag. 164. Hoc loco quia poeta a vulgari sermone ad commotiorem et πάθος habentem valedictionem pergit, numerorum mutatio et transitus ab iambis ad trochaeos aptissima est.

27. Vulgo: *Id petam, id persequarque corde et animo atque viribus.* Cod. Sur. vulgatae consentit, nisi quod *et* ante v. *animo* omittit. Recte. — Cod. Gu. membr. *corde, animo et viribus* Lang. et Cam. *id persequarque corde atque animo et auribus.* Etiam Codd. apud Bossch. omnes: *id persequarque,* et Voss. A. *auribus.* Etiam Edd. vett. *id persequarque,* et primus Camerar. de suo videtur dedisse *idque persequar.* Non assentior. Ultima in v. *petam* non eliditur et ictum habet, ut in hisce: *gratiám habeo tibi.* Cf. quae paullo ante diximus ad v. 13. Bothius de suo: *Id petessam, id persequarque,* sine caussa.

30. *Et si quem alium.* Ita nisi fallor primus Camerar. e suis Codd. edidit. Antea edebatur: *Et quem alium,* omisso *si,* atque ita exhibent Cod. Sur. Gu. uterq., omnes apud Bossch. (praeter Voss. B.) omnes Avellinii. Videntur tamen *si* tueri Cam. et Langg. quare nihil mutaverim, etsi in promptu erat scribere: *Et quemque alium.*

33. *Facile memoria memini tamen.* In plerisque Codd. et vett. Edd. ultima v. *tamen* Tyndaro tribuitur, et vel sequenti versui annectitur, vel in hoc versu notam *Ty.* ante se habet. Unus Voss. A. apud Boscham a prima manu vindicat Philocrati, ut vulgo. Fraudi fuit librariis, quod non intelligerent, *tamen* in fine sententiae quid sibi vellet, id quod Plauto perquam est familiare. Aliquoties etiam bis ponitur in eadem sententia, velut Mil. III, 2, 51. Tenendum vero, ubicunque eam sedem obtinet *tamen,* verba ita esse ordinata, ut verbum, ad quod vi sua spectat *tamen,* proxime antecedat, nisi ubi ad totum enunciatum eius vis est referenda. Cf. quae notavi ad h. l. in maiori Ed. *Istuc non praecipias* Cod. Sur. cum aliis quibusdam. Tum Codd. Langg. corrupte: *facili memoria meminit a me non,* ubi *t a me non* ex male dirempta voce ultima orta sunt. Iidem Codd. personae *Tynd.* notam plane non exhibent.

34. *Nam quidem,* ut vulgo, Codd. et Edd. omnes praeter Lam. qui *equidem* scripsit, quod verum iudico. Neque enim alibi facile legitur *nam quidem,* nullo interposito vocabulo, ad quod spectet *quidem,* neque ita dici posse existimo. Ceterum Cod. Sur. *nisi qui c. h.* ex non intellecto compendio v. *quod.* Proclive erat scribere *nisi quia,* quod tamen h. l. non necessarium.

35. *Mihi cum hoc c.* Sic vulgata, quae vera est. Bothius ex Argentorat. a. 1514. *cum hoc mihi c.,* quemadmodum etiam Ed. Parm. Non recte, quia

De húius filió. *Ph.* Quae memini, móra mera est monérier.
Tyn. 'Ut eum redimat, ét remittat nóstrum huc amborúm vicem.
Ph. Méminero. *He.* At quam prímum, istuc ín rem utrique est máxume.
Ph. Nón tuum tu mágis videre, quam ílle suum gnatúm cupit.
He. Méus mihi, suus quoíque est carus. *Ph.* Númquid aliud vís patri
Núnciari? *Tyn.* Me híc valere, et túte audacter dícito,
Tyndare, inter nós fuisse ingénio haud discordábili,
Néque te commeruísse culpam, néque me advorsatúm tibi,
Béneque hero gessísse morem in tántis aerumnís tamen,
Néque me unquam déseruisse té, neque factis, néque fide,
Rébus in dubiís, egenis. Haéc pater quandó sciet,
Týndare, ut fuerís animatus érga suum gnatum átque se,
Núnquam erit tam avárus, quin te grátiis mittát manu.

---

mihi e consuetudine Latini sermonis anteponendum. *Mihi c. h. convenit* Cod. Sur. atque ita tres apud Bossch. et duo apud Avell. *Cum* non coalescit.

37. *Vicem* accusativus adverbii loco positus, ut *magnam partem* aliae similes formulae, ad Graeci sermonis exemplum, ubi *τέλος, τοὐναντίον, τρόπον*, et quae sunt reliqua innumera, sine praepositione dicuntur, ipsa accusativi notione illam compensante. Cf. Cic. Ep. I, 9, 1. *Nostram vicem ipse ultus sese.* Liv. XXXIV, 23. *Ne vicem nostram irascaris.* Cf. infra Captiv. III, 3, 11.

38. Vulgo: *At quam primum poteris istuc in rem.* Cod. Sur.: *At quam primum poteris istuc in r e u. e. max u me.* Gu. membr.: *At quam primum potuero istuc utrique est m.* Gu. chart. cum vulgata facit. Atque ita etiam omnes apud Bossch. (nisi quod duo *utique* pro *utrique*) et Langg. *Poteris* omittit Ed. Parm. Lambinus statuit, vulgatum illud *istuc* ortum esse ex male repetita ultima syllaba v. *poteris* et particula *tam*, unde rescribit: *Quam primum poteris, tam in rem* cet. provocans ad notissimam Plautoque consuetam dicendi formulam: *quam primum — tam maxime.* Sed non accommodatum esse *poteris*, docet responsio Philocratis, qui Hegionis sermonem de patre accipit. Quod sentientes Bosscha et Bothius *poterit* dederunt, quo tamen recepto, concidit Lambiniana coniectura *tam*, quia ex *ittam* ortum esse *istuc* non est probabile. Rectissime mihi vocem *poteris* omisisse videntur Edd. Parm. quod interpretamentum esse tria argumenta evincunt: primum quod oratio brevior invitabat interpolationem, tum quod hiatus in voce *primum* videbatur additamentum postulare, quae res multas apud Plautum interpolationes peperit, denique quod neque *poteris* neque *potuero*, quae sunt Codd. lectiones, satis est accommodatum.

39. Pro v. *cupit* Codd. Langg. *desiderat* ex interpretamento.

40. *Quoique* scripsi e Cod. Sur.

42. *Inter nos fuisse* omisso subiecti casu. Sic *amare inter se* saepe apud Plaut. et Terent. Cf. infra v. 60. h. sc.

43. *Advorsatum* dedi e Cod. Sur. *Adversatum mihi* Codd. Langg.

44. De v. *tamen* in fine sententiae posito cf. quae supra ad v. 33. h. sc. diximus.

48. Vulgo: *gratus emittat manu.* Cod. Sur.: *gratis emittat manu*; atque ita quattuer apud Bosscham, Monac. Item fere Gu. membr.: *gratis emictat m.*

Et mea opera, si hinc rebito, fáciam ut faciat fácilius.
Nám tua opera et cómitate et vírtute et sapiéntia
Fécisti, ut redíre liceat ád parentis dénuo,
Quóm apud hunc confέssus es et génus et divitiás meas;
Quó pacto emisísti e vinclis túum herum tua sapiéntia.
Ph. Féci ego ista ut comménoras; et te méminisse id gratum ést mihi.
Mérito tibi ea évenerunt á me. Nam nunc, Philocrates,
Si égo item memorem quaé me erga múlta fecistí bene,
Nóx diem adimat. Nám si servus mi ésses, nihilo sécius
Mi óbsequiosus sémper fuisti. *He.* Dí vostram fidem *...
Hóminum ingenium líberale! Ut lácrumas excutiúnt mihi
Vídeas corde amáre inter se, quántis istic laúdibus
Súum herum servos cóllaudavit. *Ph.* Pól istic me haud centésimam

---

Gu. chart.: *gratis emittatur m.*, sed corr. *emittat.* Sed *gratus emittat m.*, ut vulgo, Voss. A. novem apud Avell. quod haud dubie ortum ex v. *gratiis*, quemadmodum praestat Laur. I. apud Avell. Quum semel *gratiis* in *gratus* esset corruptum, consequens erat, ut scriberent *emittat*, ad versum fulciendum. *Gratiis* semper scribendum et pronunciandum esse apud Scenicos, tribus syllabis, Bentleius docuit ad Terent. Ad. IV, 7, 26. *Manu emittere* videntur mihi Romani antiquitus dixisse, quae nativa est huius formulae ratio; sed sane iam apud Plautum invenitur formula *manu mittere*, qua posteriores pro solenni usi sunt. Saltem Menaechm. V, 7, 34. ubi hodie vulgo legitur: *Ergo edepol, si recte facias, here, me mittas manu*, ex optimis libris scribendum est *me emittas manu*, flagitante metro, ut *me* non liquescat.

49. *Rebito* primus edidisse videtur Camerar. Codd. plerique *redibo*. Leid. A. *redito*; atque ita etiam quinque apud Avell. Cf. supra v. 20. h. sc.

51. *Redire denuo.* Abundantia familiaris sermonis propria. Graeci similiter *πάλιν αὖ*, *ἄψοῤῥον αὖ πάλιν ἥκειν*, *ἀνιέναι*. Cf. Terent. Hecyr. prol. II, 30. *refero denuo.* *Parentis* Cod. Sur.

52. *Quom* e Cod. Sur. idque non coalescit.

53. Lambinus temere *exemisti*, renitentibus libris omnibus. *Vinculis* Sur. cum aliis. *Quo emisti ex vinculis* Gu. membr. Idem Lambinus malebat: *Quo facto*, quod recte refutavit Bosscha.

56. *Me erga* non coalescunt.

57. *Si servus mi esses* scripsi cum Bosscha pro vulgato: *s. s. meus esses.* Bothius dedit: *si servus meus sis*, quod temporum consecutio refutat. Ortus error ex male intellecto compendio *m̄.*

58. Ita omnes omnino Codd. cum vulgata, qua tamen lectione admissa uno pede mancus est versus. Itaque Cam. et Lamb. dederunt: *Obsequiosus mihi semper fuisti.* Bothius et Bosscha receperunt: *Obsequiosus mihi fuisti semper.* Ubique positio pronominis personalis displicet et est adversus leges Latini sermonis. Quapropter tutius existimavi, lacunam in fine versus statuere, quo genere corruptionis saepe laborant Codd. Plautini, veluti Gu. membr. in versu proxime superiori v. *secius* omittit. Puto autem v. *obsecro* vel tale quid omissum esse.

60. *Amare inter se.* Cic. ad Att. VI, 1, 9. *Cicerones pueri amant inter se.* Cf. notata supra ad v. 42.

61. Vv. *suum herum* vulgo superiori versui annectuntur, ubi inficetissime iambum finiunt. Accedit, quod in hoc versu quae vulgo leguntur verba:

Pártem laudat, quam ípse meritust, út laudetur laúdibus.
He. 'Ergo quom optumé fecisti, núnc adest occásio
Bénefacta cumuláre, ut erga hunc rém geras fidéliter.
Ph. Mágis non factum póssum velle, quam ópera experiar pérsequi;
'Id ut scias, Iovém supremum téstem laudo, Hégio,
Me ínfidelem nón futurum Phílocrati. He. Probus és homo.
Ph. Néc me secus unquam eí facturum quicquam, quam memét mihi.
Tyn. 'Istaec te dicta éxperiri ét opera et factís volo,
'Et quo minus dixí, quam volui dé te, animum advertás volo,
'Atque horunc verbórum causa cáveto mi iratús fuas.
Séd, te quaeso, cógitato, hinc meá fide mittí domum

---

istic pol haud me, perverse collocata sunt propterea quod *pol* brevem efficit syllabam. Codd. omnes exhibent: *Pol istic me haud* rectissime. Tum in superiori versu Codd. optimi quique pro v. *laudibus* exhibent *laudavit*, unde conücere licet, voc. istud in fine versus collocatum fuisse. Igitur putabam, in v. 60. voculam *istic* excidisse, quod eo facilius fieri potuit, quum praecedat *quantis*. Locum autem ita distinxi, ut v. *quantis* intelligatur caussam superioribus subiungere idemque fere esse quod *nam tantis*.

64. *Benefacta cumulare*. Infinitivus sine nota casus, ut Cic. Acad. II, 6. *Ratio disputare* pro eo quod est *ratio disputandi*. *Materia dicere* pro eo quod est *materia dicendi*. Cum his tamen exemplis cave confundas talia, veluti Cic. Offic. I, 12, 3. *Quid ad hanc mansuetudinem addi potest, cum quicum bella geras, tam molli nomine appellari*, ubi infinitivus pro subiecto est. Contraria ratio locum habere videtur apud Cic. de Nat. Deor. II, 67. *Mala est et impia consuetudo contra Deos disputandi*, ubi exspectasses *disputare;* sed verba ita struenda: *Consuetudo contra Deos disputandi mala est et impia*. Similiter Offic. III, 2. *Si discendi labor est potius quam voluptas*, quod ita accipi debet, tanquam scriptum sit: si discendi labor, labor est potius, quam voluptas, vel si in discendo labor inést potius q. v.

66. Codd. plerumque *testem do, Hegio*. Unus Gu. membr. versum sic exhibet: *Id ut scias de iouem summum testem laudo hegio*. *Summum* etiam Gu. chart. *Laudo* Vat. II. in rasura, et Ambr. I. a m: altera praestat. Locus autem citatur a Nonio pag. 335. s. v. *laudare*, ubi *laudo* diserte legitur. Hiatus est in voce *laudo* ante nomen proprium.

69. Ita plane Cod. Sur. Vulgata *Istaec dicta te — operis* ferri nequit. *Experiri te* Ed. Parm. *experiri me* Gu. chart. Leid. C. *opera* omnes Codd. atque Edd. vett. usque ad Cam. qui versus fulciendi caussa de suo dedisse videtur *operis*, quod h. l. nihili. *Opera et factis* ita differunt, ut *opera* significet virium contentionem animique adversionem, *facta* autem singula opera, quae ad rem iuvandam subeuntur. Hiatus est in voce *experiri* legitimus.

70. Vulgo: *Et quo minus*. Sed recte Cod. Sur. Gu. uterque, Leid. A. plerique Palatt. Ed. Pr. *Et quod minus*. Ed. Parm. *Et minus quod*, quod metri se gratia transposuisse dicunt Editores. Arctissime coniungenda sunt *minus quam volui*.

71. *Horunc* scripsi cum vulgata pro eo quod est in Codd. *horum*, quia ictu notatur ultima. Tum *caveto* vulgatum, quod omnes Codd. et Edd. tuentur, retinui, disyllabum accipiens, ut saepe *cave* monosyllabum est. *Cave tu* Bothius et Bosscha. *Caveo* unus Gu. membr.

Te aéstumatum, et meam ésse vitam hic pró te positam pígnori,
Né tu me ignorés, quom extemplo meo é conspectu abscésseris;
Quóm me servom in sérvitute pró te hic relíqueris;
Túque te pro líbero esse dúcas, pignus déseras:
Néque des operam, pró me ut huius réducem facias fílium.
Scíto te hinc minís viginti aéstumatum míttier.
Fác fidele sís fidelis, cáve fidem fluxám geras.
Nám pater, scio, fáciet, quae illum fácere oportet, ómnia.
Sérva tibi in perpétuum amicum me, átque hunc inventum ínveni.
Haéc per dexterám tuam, te déxtera retinéns manu,
Obsecro, infidélior mihi né fuas, quam ego súm tibi.
Tú hoc age; tu míhi nunc herus es, tú patronus, tú pater;

---

73. *Pignori* cum vulgata scripsi, licet putem antique *pigneri* apud Plautum esse scribendum, ut *temperi*. Codd. et Edd. omnes *pignori*.

74. *Quom* e Cod. Sur. vulgo *cum*.

75. *Quom — servom* e Cod. Sur. scripsi, ubi *servon*. Tum *dereliqueris* scripsit ad vitandum hiatum Camerar. de suo, quem secutus est Lambinus. Codd. et priores Edd. omnes *reliqueris*. *Te* non liquescit.

76. *Ducas* om. Cod. Sur. plurimique alii, iidemque in fine habent *desideras*, pro *deseras*. Sed Edd. Princ. Parm., in quibus deest pariter *ducas*, exhibent *deseras*. *Ducas — deseras* Camerar.

77. *Atque des operam* male Codd. Sur. Gu. uterq., tres apud Bosscham, quinque apud Avell. Sed *Neque d. o.* Voss. A. Leid. A. plurimi apud Avell. Ed. Camerar. Lamb. et secutae, id quod sensus postulat.

78. *Scio* Cod. Sur.; alii *Scito*. *Viginti* ultimam non elidit. Cf. Herm. doctr. metr. pag. 88. *Aestumatum* e Cod. Sur. ubi *estumatum*.

79. *Fac fidele sis fidelis*. Vulgo: *fac fidelis sis fideli*, quibus verbis idem diceretur, quod paullo post: *Obsecro, infidelior mihi ne fuas, quam ego sum tibi*. Cod. Sur. cum vulgata consentit, itemque Bosschae omnes. Cod. Gu. membr. *fac fidele fideli*, atque ita unus Regius apud Avell. Gu. chart. *fac fidelis fies fideli*. Nonius tamen pag. 512. hunc locum citat his verbis: *Fidele pro fideliter. Plautus Captivis: Fac fidele, cave fidem fluxam geras;* ubi verba *sis fidelis* excidisse credibile est. Atque ita Scioppius ad h. l. e Nonio refert, et scripsi olim, videoque iam, etiam Bosscham sic dedisse. *Fidele* ut *facile*, pro adverbio, non est dubium, quanquam locum alium afferre non possum. Similiter tamen *proclive* legitur apud Cic. Tusc. dispp. IV, 18. *Incitataque semel proclive labuntur*, pro *proclive*r. Adde Lucret. II, 454. *Et procursus item proclive volubilis exstat.* Eodem modo *sublime* pro adverbio est, ut *sublime volans* Virg. Aen. X, 664. Seneca Med. 1026. Ceterum usitatissima est Plauto huiusmodi dicendi figura, ut est *fidele fidelis*. Sic enim *impudenter impudens* Rud. IV, 3, 38. *inique iniurius* Epid. IV, 1, 24. *misere miser* Cistell. IV, 2, 21. Pseud. I, 1, 11. *scite scitus* Cas. III, 1, 8. et innumera id genus alia.

80. *Nunc scio pater*. Ita Cod. Sur. *Nunc* pro *Nam* plures alii. Non verum.

81. *Inventum inveni*. Recte Lambinus: Para tibi Hegionem, iam paratum et quaesitum, si fidem servaveris. Cf. etiam Bosscha ad h. l. In prioribus vulgo *in perpetuum tibi*, quem ordinem e Codd. Sur. Gu. utroq. Ed. Pr. emendavi.

84. Codd. plerique *tu mihi herus nunc es* cum Edd. vett. et vulgata. Sed recte iam Camerar. eo ordine, quo dedimus. *Tu* non coalescit.

Tíbi commendo spés opesque meás. *Ph.* Mandavistí satis.
Sátin' habes, mandáta quae sunt, fácta si referó? *Tyn.* Satis.
Ph. 'Et tua, et tua húc ornatus réveniam ex senténtia.
Númquid aliud? *Tyn.* 'Ut quam prímum póssis, redeas. *Ph.* Rés monet.
He. Séquere me, viáticum ut dem á trapezitá tibi;
Eádem opera a Praetóre sumam syngraphum. *Tyn.* Quem syngraphum?
He. Quem híc ferat secum ád legionem, hinc íre huic ut liceát domum.
Tu íntro abi. *Tyn.* Bene ámbulato. *Ph.* Béne vale. *He.* Edepol rém meam
Cónstabilivi, quom íllos emi dé praeda a quaestóribus.
'Expedivi ex sérvitute fílium, si dís placet,
'At etiam dubitávi hos homines émerem, an non emerém, diu.
Sérvate istum, súltis, intus, sérvi, ne quoquám pedem
'Efferat sine cústodela. Iam ego apparebó domi,
'Ad fratrem modó captivos álios invisó meos.
Eádem percontábor, ecquis adulescentem noverit.
Séquere tu, te ut ámittam, ei rei prímum praevortí volo.

Actus III. Scena I.

Ergasilus.

Míser homo est, qui ípsi quod edit quaérit, et id aegre ínvenit.
Séd ille est miseriór, qui et aegre quaérit, et nihil ínvenit.

---

87. *Et tua* ad Hegionem, *et tua* ad Tyndarum. Alterum *et tua* deest in Cod. Sur. plurimisque aliis.

89. Vulgo: *ut dem hinc.* Sed *hinc* ignorant Codd. omnes et Ed. Pr. Pro eo *nunc* inserit Ed. Parm. *hinc* primus addidit Camerar. Non est opus; *dem* non liquescit.

90. *Sumas* Codd. Sur. Gu. uterq. duo apud Bosscham. E correctione.

93. *Quom* e Cod. Sur. *illum* pro *illos* Cod. Sur. Gu. uterque, tres apud Bosscham, tres apud Avell. At emerat utrumque simul eo consilio, ut liberaret filium.

97. Omnes Codd. cum vulgata: *Efferat sine custode. Ego apparebo domi*, versu manco. Ed. Parm.: *E. s. custode. At ego mox a. d. Iam* interposuit Camerar. Valde probabile est, quod coniecit Bothius: *custodela. Iam ego a. d.* Idem v. *custodela* restituendum est his locis apud Plautum: Rud. III, 3, 34. Merc. II, 1, 9. Idemque apud Apuleium, Plauti imitatorem, saepius legitur.

99. *Eadem* id est *eadem via, simul*, adverbium loci, formatum, ut *una, hac, illac* cet. Disyllabum est h. l. *Percontabor* Cod. Gu. membr. *percunctabor* Codd. Sur. Gu. chart. alii.

1. *Qui ipsi quod edit.* Vulgo: *qui ipse sibi q. e.* consentientibus plerisque Codd et Edd. vett. Sed Codd. Langg. Gu. membr. Helm. Leid. B recte delent *sibi*, quod pro interpretamento videtur ascriptum fuisse. Igitur *ipsi* cum Bothio rescribendum fuit. *Qui* non eliditur.

'Ille miserrimus ést, qui, quom esse cupit, id quod edit nón habet.
Nam, hércle, ego huic diéi, si liceat, óculos effodiám libens,
'Ita malignitáte oneravit ómnis mortalés mihi.
Néque ieiuniósiorem, néc magis ecfertúm fame
Vídi, nec quoi mínus procedat, quícquid facere occéperit.
'Ita venter guttúrque resident ésuriales férias.
Ilicet parasíticae arti máxumam in malám crucem!
'Ita iuventus iám 'ridiculos ínopes ab se ségregat.
Níhil morantur iám Lacones ími subselli viros,
Plágipatidas, quíbus sunt verba síne penu et pecúnia.
Eós requirunt, quí, lubenter quom éderint, reddánt domi.
'Ipsi opsonant, quaé parasitorum ánte erat província.
'Ipsi de foró tam aperto cápite ad lenonés eunt,
Quam ín tribu apérto capite sóntes condemnánt reos,
Néque ridiculos iám terunci fáciunt sese omnés amant.
Námque ut dudum hinc ábii, accessi ad ádulescentes ín foro.

---

3. *Quom* dedi e Cod. Sur. Tum scripsi *id quod* pro vulgato *quod*; *id* enim, quod *it* scriptum legebatur, a simili terminatione vocis praecedentis absorptum, ad metrum necessarium est.

5. *Omnis* dedi e Cod. Sur.

6. *Ecfertum* dedi e Codd. Vatt. 1. et 8. Scioppius adnotavit *ecfertur*. Cod. Sur. *effractum*, ut multi alii, quod ortum e scriptura *effarctum*, quae haud scio an vera sit.

7. *Quoi* Cod. Sur. multique alii. Vulgo *qui*, quod defendit Scioppius, in fine versus *occeperis* scribens.

8. Vulgo: *Itaque*, adversus metrum et sententiam. Consentiunt vulgatae omnes Codd. atque Edd. vett. praeter Parm. Iunt. Ald. quae *Ita* recte exhibent, uti iam Bothius et Bosscha rescripserunt. Apposite comparat Bosscha haec: *Ita malignitate; Ita venter; Ita iuventus*, quae proxime leguntur. Notissima est vis explicativa voculae *ita*, quam non habet *itaque*.

9. *Licet* in plerisque Codd. pro *Ilicet*. *Maxumam* scripsi e Cod. Sur. Tum *in* deest in plerisque.

10. *Iuventa* Cod. Gu. membr. Tum vulgo *inopesque*, quod in plerisque Codd. et Edd. vett. Soli Codd. Langg. *inopes*, quod iam I. Gul. Quaestt. in Capt. C. III, pag. 78. e membranis restitui iusserat.

11. *Subselli* recte Cod. Gu. membr. Vulgo *subsellii*.

13. *Lubenter* et *quom* e Cod. Sur.

16. Vulgo: *Quam in tribu aperto capite sontes*. Hiatum Bothius transpositione sanandum existimans scripsit: *sontis aperto capite*. Vulgatam referunt omnes Codd et Edd. vett., nisi quod Leid. B. apud Bosscham *In tribu quin;* et Ed. Parm. *Quam in tribubus*. Utrumque ab iis, qui versui ab hiatu timerent. Cod. Sur. *Quam in tribu operto c.* contra mentem poetae. Vis sententiae respuit ordinem a Bothio praeoptatum, et hiatus facile se tuebitur. Douza et Bosscha: *In tribu quam*.

17. *Terunci* Codd. Sur. Gu. uterque. Vulgo *teruncii*.

18. Vulgo: *Nam ut dudum hinc abii;* atque ita Codd. et vett. Edd. omnes. Bothius *abivi*, quod nego Latinum esse. Recte Bosscham dedisse existimo: *Namque — abii*. Incredibile est memoratu, quam saepe in Codd. Plautinis falso vel adiectum vel detractum *que;* cuius rei exempla persaepe

Sálvete, inquam; Quo ímus una ad prándium? atque illí tacent.
Quís ait: hoc? aut quís profitetur, ínquam? quasi mutí silent,
Néque me rident. 'Ubi cœnamus, ínquam? atque illi ábnuunt.
Díco unum ridículum dictum dé dictis melióribus,
Quís solebam ménstruales épulas ante adipíscier;
Némo ridet. scívi extemplo rém de compactó geri.
Né canem quidem írritatam vóluit quisquam imitárier;
Sáltem, si non árriderent, déntes ut restríngerent.
'Abeo ab illis, póstquam video mé sic ludificárier.
Pérgo ad alios, vénio ad alios, deínde ad alios; úna res.
'Omnes compactó rem agunt, quasi ín Velabro oleárii.
Núnc redeo inde, quóniam me ibi vídeo ludificárier.
'Item alii Parasíti frustra obámbulabant in foro.
Núnc barbarica lége certum est iús meum omne pérsequi.
Quí consilium iniére, quo nos víctu et vita próhibeant;
Hís diem dicam, írrogabo múltam, ut mihi cœnás decem
Meo árbitratu dént, quom cara annóna sit. Sic égero.
Núnc ibo ad portum hínc. Est illic mi úna spes cœnática;
Si éa decolabít, redibo huc ád senem, ad cœnam ásperam.

---

in hac ipsa fabula inveniuntur. Cf. supra Act. II, Sc. I, v. 41. ubi parit *Namque* pro vulgato *Nam* scribendum esse vidimus. *Adulescentes* de e Cod. Sur.

19. Alterum *inquam* recte abest a Cod. Gu. membr. Vulgo: *una*, *i quam*, *ad pr.* De part. *atque* cf. ad v. 21.

20. Vulgo: *Quis ait? hoc.* Codd. plerique: *Quis agit hoc.* *Hoc* intel gendum esse *huc* iam Gul. vidit. Cf. Quaestt. C. III, pag. 77.

21. *Inquam* non coalescit. *Atque.* Cf. quae in maiori Ed. notavi ad C ptiv. II, 2, 105. Adde Schütz. doctr. part. 135. tum nott. ad Rhetor. Herenn. IV, 29. Virg. Georg. I, 202.

23. Vulgo: *Quibus solebam.* Sed Codd. Langg.: *Qui solebam*, i. e. *qu s.*, quod dedi. Memorabile est, etiam Ed. Parm. exhibere *qui solebam* voluisse vero Editores *Quis solebam* ex notis est manifestum.

30. *Quoniam me ibi.* Recte ita vulgata, licet plerique Codd. *Quom m* vel *cum me.* Gu. chart. *cum me tibi.* Leid. B. *nunc redeo inde inde cu vid.* Unus Voss. A. atque, ut videtur, plurimi apud Avell. *quoniam.* Sciop pius ascripsit *me ibi sic v.* quod haud dubie eius est coniectura. *Me* no coalescit.

32. De *lege barbarica* adeas Rostium, qui docte satis et recte de ho loco in peculiari scriptione scholastica egit. Cf. quae ad h. l. notavi i maiori Ed.

34. Vulgo *mulctam.* At Codd. omnes *multam*, quod scripsi.

35. *Quom* Cod. Sur. *Egero* futurum est momentarium. Terent. Adelph I, 2, 48. *Si pergis, abiero.* Heaut. I, 1, 55. *Si id non facis, ego — invenero.* Plaut. Epid. III, 4, 78. *Abiero.* Trin. III, 1, 24. *Huc aliquan tum abscessero.* Pers. II, 2, 68. *At ego abiero.* Cf. quae notavi in mai Ed. ad Captiv. II, 2, 64.

37. Vulgo *decollabit*, pessime. Non *decollare*, sed *decolare spes* dicitur, i. e. quasi *per colum transmitti.* Sic Plaut. Cas. II, 4, 28. *Si sor autem decolassit.* Ut nostrates: die Hoffnung ist durchgefallen, das Loos

Actus III. Scena II. *)

Hegio.

(*Canticum.*)

Quid ést suávius,
Quám bene rem gérere bono público?
Sícut ego féci heri,
Quom emi hósce hominés. Ubi quísque vidént,
Eúnt obviám, gratulánturque eám rem.
'Ita me miserum réstitando,
Rétinendoque,
Lássum reddidérunt.
Vix é gratulándo misér iam eminébam.
Tándem abii ad praetórem.
'Ibi vix réquieví, rogo
Sýngraphúm, datur mi; íllico
Do Týndaro; ille abiít domum. Inde íllico praevórtor

---

ist durchgefallen. Eodem modo dicitur *percolare*. Codd. quidem omnes et vett. Edd. h. l. *decollabit*, sed vide Gronov. ad hunc locum.

*) Haec scena est alterum *Canticum* in hac fabula. Redit Hegio laetus re bene ac prospere, ut opinatur, transacta, secum adducens captivum Aristophontem, qui Philocratem, sodalem in Alide quondam suum, videre cupit. Senex ioculari narratione exponit, quomodo a civibus salutantibus et congratulantibus retentus et delassatus fuerit, utque vix potuerit ex gratulando eminere. Id ipsum multa gestuum imitatione multaque et iocosa actione pronunciatum fuisse credibile est; idque argumentum saltationis fuit.

1. Versus primus est dochmius.

2. Sequitur creticus trimeter, quemadmodum supra II, 1, 11. Nam *bene* et *bono* pro monosyllabis sunt.

3. Creticus dimeter; *ego* enim est duarum brevium.

4. Anapaesticus dimeter. *Quom* scripsi e Cod. Sur. *Vident* Codd. praeter Gu. chart., qui *videt*.

5. Bacchiacus tetrameter.

6. Sequuntur numeri trochaici, qui hac clausula: *lássum réddidérunt*, systema primum concludunt.

7. *Retinendoque* omnes omnino Codd. atque Edd. — Herm. *Retinendo*.

9. Bacchiacus tetrameter. Vulgo: *ex grat.* Sed plerique Codd. *e gratulando*. Pro vv. *miser iam* Gu. membr. *miseram*.

10. Trochaei tres transitum facientes ad glyconeos.

11. Duo glyconei. Ut bacchiacum redderet numerum Herm. scripsit: *rogo — Mihi syngraphúm*. Illud *mihi* Codd. non agnoscunt. Tum *datur* ultimam brevem habet, etiam seq. consona.

13. Versus est comicus quadratus, sive iambicus tetrameter catalecticus, quem etiam septenarium vocant. Vulgo: *Dedi Tyndaro*; sed Codd. omnes *de Tyndaro*, quare recte sine dubio scripsit Herm. *Do Tynd.*, id quod iam Edd. Parm. e Codd. antiquis se recepisse testantur. Ed. Princ. cum nostris Codd. facit. *Domum* ultimam non elidit, quia versus asynartetus est. Cf. Herm. doctr. metr. pag. 149. Tum vulgo *revortor*. Sed Codd. vel *prevortor*, vel *pervortor*, vel *praevortor*. Ceterum de sententia loci confe-

Domúm, postquam id áctum est.
Eo prótinus ad fratrem, mei ubi súnt alii captívi;
Rogó Philocratem ex Alide, ecquis omnium hominem nórit.
Hic éxclámat, eúm sibi ésse sodalem. Dico eum esse apúd me.
Hic éxtemplo orat obsecratque, eum ut liceat vidére.
Iussi ilico hunc exsolvier. Inde abii. Nunc tu séquere
Me, ut quód me oravisti ímpetres, eum hóminem ut convénias.

Actus III. Scena III.

Tyndarus.

Nunc illud est, quom mé fuisse, quam ésse, nimio mávolim;

---

renda sunt Hermanni verba ex Elem. doctr. metr. pag. 315. *Sensus*, ait, *verborum hic est: postquam illud actum est apud praetorem, statim praevortor domum, i. e. non revertor, sed praeterea domum, ac protinus ad fratrem me confero.* Nam *praeverti* esse *praeterire* propria notione, docet Virgilianus ille versus Aen. I, 321. *Volucremque fuga praevertitur Hebrum.* Hoc ut commemoraret Hegio, postulasse videtur scenae ratio, quum fortasse senex ab alia parte intravit, quam exierat.

14. Bacchiacus dimeter, clausulam faciens. Tum sequuntur comici quadrati, quibus canticum finitur.

15. Post v. *fratrem* vulgo et in omnibus Codd. ac vett. Edd. praeter Parmensem, inseruntur vv. *inde abii*, quae iam Acidalius Divv. in Captiv. c. V, pag 95. aliena ab hoc loco esse vidit. Ea putat Herm. Elem. doctr. metr. pag. 315. primum omissa in libro et in margine posita, deinde alieno loco ab librario inserta esse. Idem verba ista infra v. 19. collocat, quod secutus sum. Tum Herm. *Alii captivi;* sed non intelligitur, cur *Alios* i. e. Elienses potissimum diceret; non enim habebat alios, nisi *Alios*. Cf. infra III, 5, 94. *Ego illis captivis aliis documentum dabo.* Igitur versum asynartetum potius existimavi; quod si ita est, *mei* non liquescit.

16. Vulgo: *Ecquis omnium noverit. Tandem hic.* Sed v. *tandem* ignorant Codd. omnino omnes et Edd. Pr. Parm. *Noverit. hic Aristophontes exclamat* Cod. Sur. Nomen *Aristophontes* pro glossa ascriptum habet Cod. Gu. membr. Hermannus pro v. *tandem* interposuit *iam* et pro *omnium* scripsit *hominum*. Magis est probabile, post v. *omnium* simile verbum *hominem* excidisse, quod restitui.

17. Retinui vulgatum ordinem *cum sibi esse*, qui est in Sur., pro quibus Herm. *esse eum sibi*. Tres Codd. apud Avell. *eum esse sibi*, quod fortasse praeferendum.

18. Vulgata cum Codd. Sur. Gu. membr. chart. aliis: *eum sibi ut liceat videre*. Herm. verba transposuit: *eum sibi videre ut liceat*. Mihi videbatur *sibi* supervacaneum, quapropter omisi.

19. Vulgo: *exsolvi. nunc tu sequere.* Verba *inde abii* h. l. commodissime interposita esse ab Hermanno, supra indicavimus; nec est alius in toto cantico locus, ad quem ea sint accommodata. Tum cum Herm. scribendum erat *exsolvier.*

20. *Hominem* ultimam non elidit; cui rei mederi studens Herm. *uti* scripsit. Non est opus.

1. *Quom* dedi e Cod. Sur. *quod* Gu. membr. *quor* Leid. B. *Mavolim* scripsi e Langg.

Nunc spés, opes, auxíliaque a me ségregant spernúntque se.
Hic ílle est dies, quom núlla vitae meaé salus sperabilist;
Neque éxitium exitio est, neque adeo spes, quae hunc mi aspellat metum:
Nec súbdolis mendáciis mihi úsquam integumentum ést meis.
Nec sycophantiís, nec fucis úllum mantellum óbviam est.
Neque déprecatió perfidiis meís, nec malefactís fuga est.
Nec cónfidentiae úsquam hospitium est, néc devorticulúm dolis.
Opérta quae fuére, aperta súnt, patent praestígiae.
Omnís palamst res; néque de hac re negótium est,
Quín male occidam, óppetamque péstem, heri vicém meamque.

---

2. *Opes*, ut vulgo, exhibent Gu. uterq. aliique. *Opesque* Cod. Sur. Tum *spernuntque me* Gu. chart. cum quibusdam aliis. Male. Cf. Douza Plaut. expll. I, 18., qui citat Ennii locum ex Hectoris lytris, quem Nonius pag. 399. servavit. *Melius est virtute ius; nam saepe virtutem mali Nanciscuntur, ius atque aequum se a malis spernit procul.* Recte vulgatam tuentur Codd. Sur. Gu. membr.

3. *Dies* monosyllabum. *Quom* Cod. Sur. Tum Codd. plerique *sperabilis est mecum*, qui iidem seq. v. ultimum v. *metum* omittunt, quod male sic transtulerunt librarii.

4. *Neque exitium exitio est.* Ita scribendum existimavi de Acidalii coniectura, a Codice Pontani confirmata. Vulgo: *exsilium exitio est*, quod nihili. *Exitium exitio est* dicitur ut *salus saluti est*, et id genus alia apud Plautum. Tum *quae mihi hunc* praestant Codd. cum vulgata. Ordo metri caussa immutandus erat, nisi forte *hunc* plane delendum.

5. Vulgo: *mendaciis subdolis.* Ordo versus caussa fuit immutandus, quod iam Edd. Parm. fecerunt. Tum Codd. plerique: *usquam mantellum est meis*, quae eiusdem verbi in versibus deinceps positis fastidiosa repetitio a Plauto profecta esse nequit. Lambinus in vet. Cod. Io. Tilii, episcopi Meldensis, invenisse se testatur *integumentum*, cui accedit Cod. Leid. A. in quo v. *mantellum* expunctum et in margine ascriptum est *tegmentum.*

7. Codd. plerique *Neque precatio.* Primus Camerar. dedisse videtur *Neque deprecatio*, quod undecunque est, verum est.

8. *Devorticulum* scripsi e Codd. Sur. Gu. chart. ubi *divorticulum.*

9. *Praestigiae* antepenultimam producit, ut h. l., apud priscos. Apud seriores corripit, veluti Alcim. Avit. 5, 471. *Praestigiaeque diu nebulosa fraude peractae.* Nec descendit voc. a *praestringendo*, sed a *praestinguendo*, quod est caliginem offundere oculis, blenden.

10. Iambicus senarius est, qui transitum parat ad trochaicos numeros. Vulgo: *Omnis res palam est*, atque ita Codd. et Edd. omnes, si excipias Parm., ubi: *omnis res est palam.* Ego Bothium secutus dedi: *Omnis palamst res.* Nisi forte legendum et pronunciandum *Omnis res pălăm est*, quod mihi valde verisimile.

11. Vulgo: *heri vicem meamque*, atque ita scribendum existimavi, quia necessitatem nullam videbam, cur a Codd. omnium lectione discederem. Edd. Parm. *heri vicem mei*, non e Codd. Olim scripseram: *heri vicem et meam.* Bosscha: *heri vicem, meam*, qui tamen mallet scribere: *heri vicem malam*, ad *pestem* relatum. Versus est trochaicus tetrameter acatalectus, quem cur catalecticum esse oporteat, non intelligo.

Pérdidit me Arístephontes hícce, qui venít modo intro.
Is me novit, ís sodalis Phílocrati et cognátus est.
Neque iám Salus serváre, si volt, mé potest:
Nec cópia est; nisi si áliquam corde máchinor astútiam.
Quám? malum! quid máchiner? quid cómminiscar? máxumas
Nugás ineptiásque incepso. Haéreo.

Actus III. Scena IV.

Hegio, Tyndarus, Aristophontes.

Quo illúm nunc hominem próripuisse forás se dicam ex aédibus?
Tyn. Enim véro nunc ego óccidi; eunt ad te hóstes, Tyndare! Eí mihi!

---

12. Omnes Codd. et Edd. vett. usque ad Camerar.: *hic, qui venit modo intro*. Vulgo: *hic, qui intro venit modo*, quod, ut dixi, primus dedisse videtur Camerarius. Huic consensui eo minus repugnandum, quum probabile sit, etiam hunc versum, ut superiorem, esse acatalectum. Quod si recte vidi, consequens erat, ut *hicce* pro vulg. *hic* scriberetur.

13. Apte finem trochaici rhythmi facit trochaicus tetrameter catalecticus. Omnino haec scena memorabile praestat exemplum aptae numerorum mutationis et trochaici metri cum iambico consociationis, de qua re adeas Hermannum in Elem. doctr. metr. pag. 162. ubi totum segmentum de continuatione numeri trochaici apud Romanos legere tirones iubeo.

14. Iambicus senarius transitum parans ad iambicum tetrametrum acatalectum. *Volt* Cod. Sur. Gu. uterque.

15. *Nisi si*, ut vulgo, Gu. uterq. quattuor apud Bossch. Langg. *Nisi* Cod. Sur. aliique pauci. *Meo* post *Nisi si* a Camerario, ut videtur, interpositum, ignorant iuxta cum vulgata Codd. omnes et Edd. vett. *Machinor* ultimam ex lege producit.

17. *Incepso.* Sic et metri et sententiae necessitate scribendum iudicavi. Vulgo: *incipisso*. Sed Codd. Sur. Gu. uterque, quattuor apud Bossch. plurimi apud Avell. *incepisse*. Voss. A. tres apud Avell. *incipisse*. Langg. *incipisse. hac reor.* At *incipisso*, si est forma verbi Latina, in versum peccat. *Incipisse* nihili est. *Incepisse* infinitivus non habet quo referatur, aut qui explicetur. Tutissimum et aptissimum videbatur futurum exactum *incepso*. Forma est eadem, qua dicuntur *capso*, *occepso;* significatio autem actionis futurae momentariae. Cf. quae dixi in mai. Ed. ad Captiv. II, 2, 64. In voce *incepso* hiatus legitimus, cuius evitandi studium vitio originem dedit.

2. Vulgo: *Nunc enim vero ego occidi.* Deest *ego* in Gu. chart., duobus apud Bossch. Tum in fine versus vulgo *Ei mihi* absunt, *mihi* autem versui sequenti in vulgata et in omnibus Codd. et vett. Edd. adhaeret. Factum hoc loco puto, cuiusmodi multa in omnibus libris scriptis saepe accidisse videmus, ut vox *mihi*, quia spacium non esset, in vers. sequentem traiiceretur. Quod probabilius fit hoc loco, quod in hoc versu, propter initialem litteram totius scenae, quae plerumque picta erat, spacium in dextra parte absumptum esset, ut sinistrum latus non sufficeret. Et quum verba essent dirimenda, litterae *TYNDAREIMIHI* ita sunt discretae, ut interiectio *Ei* neglecta perierit.

Quíd loquar? Quid fábulabor? quíd negabo? áut quíd fatebor?
Res ómnis in incertó sita est; quid rébus confidám meis?
Utinám te Di prius pérderent, quam périisti e patriá tua,
Arístophontes, qui éx parata re ímparatam omném facis.
Occísa est haec res, nisi reperio atrócem mi aliquam astútiam.
He. Sequere. 'En tibi hominem, adi, átque alloquere. *Tyn.* Quís homost me hominum míserior?
Ar. Quíd istuc est, quod meós te dicam fúgitare oculos Tyndare?
Próque ignoto me áspernari, quási me nunquam nóveris?
'Equidem tam sum sérvos, quam tu; etsi égo domi libér fui,
Tu úsque a puero sérvitutem sérvivisti in 'Alide.
He. 'Edepol minime míror, si te fúgitat, aut oculós tuos,
Aút si te odit, qui ístum appelles Týndarum pro Phílocrate.
Tyn. Hégio hic homó rabiosus hábitus est in 'Alide.
Né tu quod istic fábuletur, aúris immittas tuas.
Nam ístic hastis ínsectatus ést domi matrem ét patrem.
'Et illic isti, quí sputatur, mórbus interdúm venit.
Proín tu ab istoc prócul recedas. *He.* 'Ultro istum a me! *Ar.* Ain' vérbero
Mé rabiosum, atque ínsectatum esse hástis meum memorás patrem?

---

3. Versus est trochaicus tetrameter acatalectus; in fine vulgo additur *mihi*, quod omnes Codd. et Edd. vett. agnoscunt. Vide quae statim ante notavimus.

5. Recte vulgata cum Codd. plerisque *perderent*. Nam *utinam perdant* dicendum, quum simul indicare vis, spem tibi non deesse. *Utinam perderent* duo significare potest, aut: tibi nihil esse quod eiusmodi spem faciat; aut: hoc olim fieri potuisse et velle te factum esse. *Utinam perdidissent* si dicis, subsignificas: at non credo, hoc tum fieri potuisse, vel: at non probabile est, illud tum potuisse accidere. Sin vero dicas: *utinam perdiderint*, indicas, te nunc factum id velle, antequam aliud futurum acciderit vel accidat. Intelligitur, neque praesens neque perfectum h. l. accommodatum esse, quapropter aut *perderent* aut *perdidissent* dicendum erat. *Perduint* Cod. Cam. *Perdiderint* Gu. chart. Leid. C. Utrumque falsum, ut vidimus.

8. Vulgo: *hem tibi hominem*, atque ita etiam Codd. Sur. Gu. uterq. Langg. *Hunc tibi h.* Leid. A. Sed recte *En tibi h.* Leid. B. quod dedimus. *Hem* monstrantis non est.

11. *Servos* dedi e Cod. Sur.

13. *Is si te* Cod. Sur. Leid. A. C. Gu membr. *is se se* Gu. chart. Illud adversus metrum, hoc ex errore scriptoris.

16. *Auris* scripsi e Cod. Sur.

18. *Et illic isti* Codd. omnes praeter Leid. B., qui *et ille isti;* et Gu. membr. ubi *et illic istic sputatur*. Ceterum *morbus qui sputatur* est morbus comitialis, quo qui correpti erant, sanari posse credebantur, quum iis inspueretur. Cf. Plin. Hist. Nat. X, 23. et XXVIII, 3.

20. *Esse* deest in Codd. Langg. Quod ferri possit, quum versus isti possint esse asynarteti.

'Et eum mihi morbum ésse, ut qui me ópus sit inspatárier?
He. Né verere, múltos iste mórbus homines mácerat,
Quíbus inspátarí saluti fúvit, atque ís prófuit.
Ar. Quíd tu autem, etiam huic crédis? *He.* Quid ego crédam huic? *Ar.* Insanum ésse me.
Tyn. Víden' tu hunc, quam inimíco voltu intuétur? concedi óptumumst.
Hégio, fit quod tíbi ego dixi; glíscit rabies. cáve tibi.
He. Crédidi esse insánum extemplo, ubi te áppellavit Týndarum.
Tyn. Quín suum ipse intérdum ignorat nómen, neque scit quí siet.
He. 'At etiam te suúm sodalem esse aíbat. *Tyn.* Haud vidí magis.
'Et quidem Alcmaeo átque Orestes, ét Lycurgus póstea

---

21. Vulgo: *Et eum morbum mihi esse.* Meliorem ordinem praestitit Cod. Sur. cui accedit Voss. B. Tum *ut* deest in Langg. Alii Codd. omnes retinent *ut*, quod necessarium est; pendet enim a v. *eum*. *Qui* est adverbium indefinitum, *aliquo modo; ut qui* ὥστε που, ὥστε δήπου. Similiter Asin. III, 1, 2. An ita tu es animata, ut qui expers matris imperii sies. Bacch. II, 3, 49. *Adeon' me fuisse fungum, ut qui illi crederem.*

23. Vulgo: *Fuit. Ty. Atque Aliis profuit.* Codd. non consentiunt. Vulgata a Grutero est. Cod. Sur. *fuit: atque his pr.* sine personarum mutatione. Atque ita omnes reliqui Codd. nisi quod inter *iis*, *cis*, *his* fluctuant. Scripsi *ïs* i. e. *iis*; consequens erat, ut *fuvit* penultima producta proferretur. Cf. notata supra ad II, 2, 12. *Iis* additum ex quadam abundantia an negligentia familiaris sermonis, quo omnia quam fieri potest maxime perspicue eloqui studebant tam Graeci quam Latini. Paullo diversum, sed eodem modo explicandum genus dicendi hoc est: *Quae neque illa illi quicquam usui est.* Cist. IV, 2, 23. ubi *quae illa* est pro vv. *haec illa.* Trin. IV, 4, 16. *Quorum eorum unus surpuerit currenti cursori solum.* De quo loco, quemadmodum de Graeca in his consuetudine, cf. Herm. ad Soph. Philoct. 315.

24. *Etiam huic credis* i. e. *credisne adeo, num credis adeo?* du kannst ihm auch noch glauben? Miratur Aristophontes, quod, quum tam absurda dicat Tyndarus, fidem tamen iis habeat Hegio. *Tu* abest a quibusdam Codd. quod abesse nequit.

25. *Voltu* et *optumumst* scripsi e Cod. Sur.

26. *Hegio* h. l. pro disyllabo habendum. Bothius *ego* omisit; non addicunt Codd.

28. *Ipse interdum.* Sic vulgo, recte. *Interdum ipse* Cod. Sur. *Ipse* deest in Leid. C. Gu. chart. Solent haec ita strui pronomina *suum ipse*, *suo ipse*, *sui ipse*, cet.

29. Vulgo: *aiebat.* At disyllabum esse debet. Tum Codd. Sur. Leid. C. Gu. chart. *Audivi dii magni.* Gu. membr. *audivi di.* Codd. Langg. Voss. A. Leidd. A. B. *audivi di magis*; quae omnia vitia ex ignoratione formulae *haud vidi magis* sunt orta. Habet ista formula ironicam negationem, qua simul irridemus. Significat enim proprie: *nihil vidi*, quod meliori iure sic dici possit, vel ut h. l. neminem vidi, qui magis esset meus sodalis; h. e. nemo minus est, omnium minime is est. Cf. Cicero pro Sext. *Est enim iste populo Romano deditus? Nil vidi magis.* Cf. Amphitr. II, 2, 47. Muret. varr. lectt. 17, 16. (10, 13.) Adde Taubm. ad illum Amph. locum.

30. *Et quidem* h. l. ironicam vim habet: *und freilich*, *natürlich*, ut sit

Una operà mihi súnt sodales, qua íste. *Ar.* At etiam fúrcifer,
Mále loqui mi audés? non ego te nóvi? *He.* Pol planum íd quidem est,
Nón novisse, qui ístum appelles Tyndarum pro Phílocrate.
Quém vides, eum ignóras: illum nóminas, quem nón vides.
Ar. 'Immo iste eum sese aít, qui non est, ésse, et qui vero ést, negat.
Tyn. Tu énim repertu's, Phílocratem qui súperes verivérbio!
Ar. Pól, ego ut rem videó, tu inventu's, véra vanitúdine
Quí convincas. séd quaeso, hercle, agedum áspice ad me. *Tyn.* Hem. *Ar.* Díc modo,
Té negas Tyndarum ésse? *Tyn.* Nego inquam. *Ar.* Tún' te Philocratem ésse ais?
Tyn. 'Aio ego, inquam. *Ar.* Túne huic credis? *He.* Plús quidem, quam tibi aút mihi.
Nam ílle quidem, quem hunc mémoras esse, hódie hinc abiit 'Alidem

---

fere idem, quod *et nimirum.* Tum pro v. *Alcmaeo* Cod. Sur. *Alcinous.* Gu. membr. *Alcinouus.* Gu. chart. *altionus.* Alii *Alcmeus*, ut Langg. Quare Bothius scripsit *Equidem Alcmaeus atque;* male, nam *equidem* h. l. nihili. Fontem erroris monstrant Codd. Langg. ubi teste Scioppio post v. *Alcmeus* deest *atque*, quod per compendium scriptum syllabam *us* progenuit. Ed. Pr. *Alcinous.* Parm. *Alcmaeon.* Cam. *Alcmaeo.*

32. Vulgo: *Male mihi loqui.* Sed meliori ordine Cod. Sur. Ed. Pr. *male loqui mihi.* Tum Codd. Sur., omnes apud Bosscham *phanum* aut *phanōm*, cui assentiunt alii, ut Gu. membr. ubi *phanum*, chart. ubi *phanon.* Ed. Pr. *phanō*, Parm. *phanon.* Recte Cam. edidit *planum.*

33. *Qui istunc* vulgo. Voss. A. *istum*, recte, metro postulante. Deest *istum* a Cod. Sur. quattuor apud Bossch.

35. *Qui vero est* h. e. qui revera est; cf. Sciopp. suspectt. lectt. IV, 20. Codd. Langg. *esse qui vere est*; ex interpretatione.

37. *Ego* abest a Gu. chart. Leid. C. male, quia *pol* corripitur. Tum *tu* in omnibus est Codd. estque tam ad sententiam quam ad metrum necessarium.

38. *Ty. Hem. Ar.* Desunt haec in Cod. Sur. ita ut oratio sine personae mutatione Aristophonti continuetur. Quod ferri posset, nisi consentaneum esset, Tyndarum non sine indignatione audire Aristophontem, se aspicere iubentem.

39. Sine caussa Bothius ordinem sic immutavit: *Te Tyndarum esse negas*, iambicum versum statuens. *Negas*, *negat* saepe monosyllaba sunt, ut *ais*, *ait*, *aio*, *aias*, *aiat*, quod quum per se est credibile, tum exemplis ostenditur. Originem duxit *nego* ab *ne — aio*, quare eandem pronunciandi celeritatem in familiari sermone expertum esse *nego*, quam *aio*, verisimile est. Terent. Eun. II, 2, 21.

Negat quis? nego. Ait? aio Postremo imperavi egomet mihi.

Qui versus nullo modo constat, nisi *negat* pro monosyllabo accipias. Tum Cod. Sur. Leid. A. *Tute Phil.*

40. Vulgata cúm omnibus Codd. et Edd. vett. *Ego inquam*, metro adversante. Manifestum est *aio*, quod saepe in Codd. scribitur *ago*, a seq. v. *ego* facile absorberi potuisse.

41. Vulgo: *quem tu hunc memoras esse.* In Codd. Sur. omnibus Bosschae,

'Ad patrem huius. *Ar.* Quém patrem, qui sérvos est? *Tyn.* Et tu quidem
Sérvos, et libér fuisti, et égo me confidó fore,
Si húius huc recónciliasso in líbertatem filium.
Ar. Quíd ais, furcifér? tun' tete gnátum memoras líberum?
Tyn. Nón equidem me Líberum, sed Phílocratem esse aió. *Ar.* Quid est?
'Ut scelestus, Hégio, nunc íste te ludós facit!
Nam is est servos ípse, neque praetér se umquam ei servós fuit.
Tyn. Quía tute ipse egés in patria, néc tibi, qui vivas domist,
'Omnis inveníri similis tíbi vis; non mirúm facis.
'Est miserorum, ut málevolentes sínt atque invideánt bonis.
Ar. Hégio vide sís, ne quid tu huic témere insistas crédere.
'Atque ut perspició, profecto iam áliquid pugnae édidit,
Fílium tuum quód redimere se aít, id ne ŭtiquam míhi placet.
Tyn. Scío te id nolle fieri; efficiam támen ego id, si Di ádiuvant.
'Illum restituam huíc, hic autem in 'Alidem me meó patri

Gu. chart. abest *hunc*. In Cod Gu. membr. *tu hunc* absunt. Omittendum est *tu*, versusque pro asynarteto habendus, unde *esse* non coalescit.

42. *Qui servos est?* Ex iuris veteris regula, qua servi cognationis agnationisque iuribus carebant, ut recte monuit Bothius in Add. pag. 498. *Servos* dedi e Cod. Sur. itemque versu prox.

45. Vulgata cum Codd.: *Tun te gnatum memoras liberum*, versu manco. *Esse huic* post v. *gnatum* de suo interposuerunt Edd. Parm. Camerar. v. *esse* post v. *memoras* addidit. Non dubium est, aliquid excidisse, sed aliud, quod facilius omitti potuit. Quare scripsi *tun' tete*.

47. Pari modo huic versui succurrendum fuit. Vulgata cum omnibus Codd. *nunc is te ludos facit*, nisi quod Codd. plerique *iste*. Scribendum quod Bosscha iam dedit: *nunc iste te ludos f.* Acidalius interposuerat *hic* post v. *ludos*.

48. *Serv o s* scripsi e Cod. Sur. Tum *praeter eum quisquam* Codd. Sur. Gu. chart., quattuor apud Bossch. *pōt eum quisquam* Cod. Gu. membr. *Praeter eum quam* Voss. A. quae lectio fontem corruptionis monstrat. Recte enim Camerar. haud dubie e Cod. restituit *praeter se umquam*. In Codicibus scriptis saeculi septimi atque octavi *r* et *s* fere eodem ductu pinguntur, ita ut, quum scriptum esset *praeterreumquam*, depravatio esset facillima. *Nam* non eliditur.

49. *Domist* scripsi e Codd. Langg.

50. *Omnis — similis* dedi e Cod. Sur. *Invenir e* Sur. Leidd. B. C. Gu. uterq. Vulgo: *omn e i s*.

53. *Pugnae edidit* Codd. Sur. omnes Bosschae, Langg. Gu. uterq. Recte, cum vulgata. *Pugnae hic edidit* Cam. *Pugnae dedit* malebat Scioppius. In voce *pugn a e* ultima non eliditur.

54. *Ne ŭtiquam.* Ita scribendum esse, facile patet, metro flagitante. Non enim creticus, sed anapaestus tantum, prima ictu elevata, admitti potest. Codd. eodem ducunt. *Id ne inquam mihi* Cod. Sur. Leid. C. Gu. chart. *id me unquam mihi* Cod. Gu. membr. Sed quattuor apud Bossch. *neutiquam*, idque primi dederunt e Codd. antiquis Edd. Parm., quum Ed. Pr. habeat *ne unquam*. Bosscha omisit *mihi*, contra omnium Codd. fidem.

Própterea ad patrem hínc amisi Týndarum. *Ar.* Quin túte is es:
Néque praeter te in 'Alide ullus sérvos istoc nómine est.
Tyn. Pérgin' servom me éxprobrare esse, íd quod vi hostili óbtigit?
Ar. 'Enimvero iam néqueo continéri. *Tyn.* Heus audin'? quín fugis?
Iam illic hic nos insectabit lápidibus, nisi illúnc iubes
Cómprehendi. *Ar.* Crúcior. *Tyn.* Ardent óculi; fune opust Hégio.
Víden' tu illi maculári corpus tótum maculis lúridis?
Atra bilis ágitat hominem! *Ar.* At pól te, si hic sapiát senex,
Píx atra agitet ápud carnuficem, tuóque capiti illúceat.
Tyn. Iám deliraménta loquitur, lárüae stimulánt virum.
He. Hércle, quid si hunc cómprehendi iússerim? *Tyn.* Sapiás magis.
Ar. Crúcior lapidem nón habére mé ut illi mastígiae
Cérebrum excutiam, quí me insanum vérbis concinnát suis.
Tyn. Aúdin' lapidem quaéritare? *Ar.* Sólus te solúm volo,
Hégio. *He.* Istinc lóquere, si quid vís; procul tamen aúdiam.
Tyn. Námque edepol si adbítes propius, ós denasabít tibi
Mórdicus. *Ar.* Neque pól me insanum, Hégio, esse créduis,

---

58. *Servos* dedi e Cod. Sur.

59. *Servon* Cod. Sur. *Servo exprobrare id quod* Leid. C.

60. Vulgo: *heus audin quid ait? quin fugis?* Atque ita Codd. Langg. *Heus tu quid agis quin fugis* Sur. omnes apud Bosscham (nisi quod *tu* abest a Leid. B.) Gu. chart. Edd. Pr. Parm. *heus tu quid ais quin fugis* Gu. membr. Primus Camerar. dedisse videtur *heus audin*, quod in Codice ille haud dubie suo invenit. Apertum est, verba *quid ait* a glossatore esse.

61. *Nisi illunc iubes* scripsi e Codd. Sur. Langg. Edd. Pr. Parm. Pro *insectabit* Codd. Sur. Leidd. A. B. Gu. uterq. *insectabitur*. Sed activam formam tuentur reliqui cum Edd. vett.

62. *Fune opust*. Sic Codd. plerique omnes. Sed refert Camerar. in suo Cod. clare exaratum esse *fit opus*, omisso *fune*, cui assentitur Cod. Voss. A. False. In vinculis habentur mentis impotes. — *Opust* ultimam corripit.

64. *Atra bilis* est μελαγχολία. Cf. Cic. Tuscul. dispp. III, 11.

65. *Pix atra.* Ita tam metro quam sententia postulante scribendum. Non enim refert, *atram picem*, sed *picem* potissimum minitari Tyndaro. *Carnuficem* scripsi e Sur. Vulgo: *Atra pix* et *carnific.*

66. *Larüae* trisyllabum est. Menaechm. V, 4, 2. *Num lárüatus aút cerritus, fác sciam.*

67. Vulgo: *Quid? quid si,* quam lectionem primus Camerarius e correctione Cod. sui recepit. Nam etiam Cam. Cod. a prima manu *Hercle quid si*, quod omnes omnino Codd. et vett. Edd. exhibent, idque esse verum, ipsum metrum indicat.

68. *Me* hiatum admittit.

71. *Procul tamen audiam.* H. e. Audiam quidem, sed tamen procul.

72. *Os desañabit* (sic) Cod. Sur.; sed in margine: alii *denasabit*.

73. Multi *mordicitus*, alii *mordicibus* teste Taubm.; sed recte Cod. Sur. *mordicus*. Tum *neque pol insanum me* ordine ad evitandum hiatum immu-

Néque fuisse umquám, neque esse mórbum quem istic aútumat.
Vérum si quid métuis a me, iúbe me vincirí; volo,
Dum ístic itidem vínciatur. *Tyn.* 'Immo enim vero, Hégio,
'Istic, qui volt, vínciatur. *Ar.* Táce modo; ego te, Philocrates
Fálse, faciam, ut vérus hodie réperiare Týndarus.
Quíd mi abnutas? *Tyn.* Tíbi ego abnuto? Quíd agat, si absis lóngius?
He. Quíd ais? quid si adeam húnc insanum? *Tyn.* Núgas! ludificábitur,
Gárriet, quoi néque pes umquam, néque caput compáreat.
'Ornamenta absúnt; Aiacem, hunc quóm vides, ipsúm vides.
He. Níhili facio, támen adibo. *Tyn.* Núnc ego omnino óccidi,
Núnc ego inter sacrúm saxumque stó; nec, quid faciám, scio.

---

tato Codd. Sur. Leid. C. Voss. B. Gu. membr. Falso. Nam *pol* corripitur. *Insanum* ultimam non elidit.

77. *Ego te Phil.* Codd. nostri omnes, item Bosschae omnes et quattuor apud Avell. omittunt *te*, quod recte Cam. interposuit. Structura Graecis familiaris. — *Volt* e Cod. Sur.

79. *Si absis longius.* Ultima vox in Codd. Sur. Gu. utroque, Bosschae omnibus, omnibus Avellinii, superiori versui in fine appicta est, ut ibi legatur *Tyndarus longius*. Cf. quae supra notavi ad h. sc. v. 2. *Absis* indicat metum, ne mox abeat Hegio; aliter enim *abesses* scripsisset. Sed cf. Herm. ad Viger. pag. 820 sqq. *Abnutas* recte Cod. Sur. et plerique alii. *Adnutas* Gu. membr. *Obnutas* Gu. chart. quod recepit Bothius. Male. Nam non *annuendum*, sed *abnuendum* erat.

80. *Nugas! ludificabitur.* Recte sic distingui iussit Bosscha, nisi quod colon interposuit. Vulgo deest distinctio.

81. *Garriet quoi.* Vulgo: *Garriet quod*; atque ita Langg., omnes Bosschae, Gu. chart. *Garriet quo* Regius apud Avell. et Lambinus. *Garriet in quo* Cod. Sur. Gu. membr. Sine dubio verum vidit Acidalius, qui scribi iussit *quoi*, ex lege orationis. Non enim dici solet *quod non est pes nec caput, loqui*, sed *loqui, quod non habet pedem nec caput*.

82. *Ornamenta absunt.* Ita recte vulgata cum Codd. omnibus, nisi quod alii *ortamenta*, alii *ortata*, alii *hortamenta*, ex interpretatione. Temere Bothius, Douzam secutus, dedit *adsint*. Sententia est: Ipsum furiosum Aiacem vides, quum hunc vides; ornamenta tantum tragica, clupeus, gladius, galea, reliquus vestitus, absunt. Eundem Bothium olim *Armenta absunt* scribentem, recte refutavit Rostius, V. Cl., in singulari scriptione, Plautinorum Cupp. ferculo III. *Quom* dedi e Cod. Sur.

83. *Nihil facio* Codd. Sur. Gu. uterq. Bosschae omnes. Male. Tum *Nunc omnino ego occ.*, ordine minus Latino, Codd. Sur. Voss. B. Amant enim Latini pronomina personalia quantum per sententiae naturam ac vim licet, praeponere.

84. Repetitum hunc versum in Casinae loco mutilo Act. V, 4, 7. ubi hucusque octo versus desiderabantur, quos produxit, mutilos tamen, Maius, idem protulit e Codice nobilissimo illo palimpsesto, qui Plauto tam fuit salutaris. Ibi legitur: *Nunc ego inter sacrum saxumque sto nec, quo fugiam, scio.* Non raro Plautus tum hemistichia, tum integros versus alio loco repetere solet, cuius rei insigne exemplum dabimus infra Capt. III, 5, 7.

Trin. 2,4,56 — Cas. 1,1,15 — Poen. 1,1,32.

He. Dó tibi operam, Arístophontes, sí quid est, quod mé velis.
Ar. 'Ex me audibis véra, quae nunc fálsa opinare Hégio.
Séd me hoc primum éxpurgare tíbi volo, me insániam
Néque tenere, néque mi esse ullum mórbum, nisi quod sérvio.
'At ita me rex deórum atque hominum fáxit patriae cómpotem,
'Ut istic Philocratés non magis est, quam aút ego, aut tu. *He.*
Eho! díc mihi,
Quís illic igitur ést? *Ar.* Quem dudum díxi a principió tibi.
Hóc, si secus repéries, nullam caúsam dico, quín mihi
'Et parentum et líbertatis ápud te deliquió siet.
He. Quíd tu ais? *Tyn.* Me tuum ésse servom, et té meum herum.
He. Haud istúc rogo.
Fuístin' liber? *Tyn.* Fuí. *Ar.* Enimvero nón fuit, nugás agit.
Tyn. Quí tu scis? an tú fortasse fuísti meae matri óbstetrix,
Qúi íd tam audacter dícere audes? *Ar.* Púerum te vidí puer.
Tyn. 'At ego te videó maior maiórem. Hem rursúm tibi!
Meám rem ne curés, si recte fácias; num ego curó tuam?
He. Fúvitne huic patér Thesaurochrýsonicocroésides?
Ar. Nón fuit, neque ego ístuc nomen úmquam audivi ante húnc diem.
Phílocrati Theodóromedes fuít pater. *Tyn.* Pereó probe.
Quin quiescis? í dierectum, cór meum, ac suspénde te.

---

87. Vulgo: *Sed hoc primum me.* Atque ita plerique Codd. nisi quod Sur. Leid. C. Voss. B. *haec.* Ipse versus indicium facit, pronomen personale non suo loco positum esse. Igitur scripsi *Sed me hoc*, qui ordo Latinus est.

91. Vulgo: *Quis igitur ille est.* Sed Codd. Sur. Langg., Boeschae quattuor, eo ordine, quo scripsimus, qui verus est. Unus Leid. B. *Quis illic ergo est* e corr.

93. Codd. omnes vel *deliquio* vel *delinquio.* Recte. Sine dubio *deliquio* est nominativus. Ut enim *contagio, contagium, aestimio, aestimium, obsidio, obsidium, oblivio, oblivium;* ita haud dubie dicebatur etiam *deliquio* et *deliquium.* Ian. Gulielm. *deliquiom* malebat, quem vide in Quaestt. in Capt. III, pag. 78.

94. *Servom* scripsi e Cod. Sur. ubi *serv on.*

97. *Quod id tam* Cod. Sur. *Quod tam id* Leid. B. utrumque male.

98. *Maiorem* ultimam non elidit in plena interpunctione.

99. *Ne cures* pro vulgato *non cures* scripsi e Codd. Leid. C. Gu. chart.

100. Versus gratia scribendum fuit *Fuvitne* pro vulgato *Fuitne.* Cf. quae dixi supra ad Captiv. II, 2, 12. Tum Codd. omnes et Edd. — — *chrysides.* Vide quae diximus supra ad II, 2, 35.

103. Vulgo: *Quin quiescis dierectum cor meum! i ac suspende te.* Cod. Sur.: *Q. q. dic ereptum cor meum ac susp. t.* Gu. membr.: *Q. q. dic ereptum cor meum a. s. t.* Gu. chart.: *Q. q. cor meum directum a. s. t.* Leid. A.: *die ereptum.* Leid. B.: *die eiectum.* Leid. C.: *cor meum dierectum.* Voss. A.: *die rectum.* Voss. B.: *die erectum.* Ian. Gul. Quaestt. in Capt. III, pag. 78. suasit: *Quin q. i dierectum.* Lambinus scripsit: *Quin quiesce tu dierectum cor meum ac susp. t.* Manifestum est, ante ultima vv. *ac suspende te* desiderari imperativum. Quod si vero *i* ante *die-*

(Pers. 1,2,149) Capt. 3,4,103 Curc. 2,1,29
Men. 2,3,87. Merc 1,2,72
Rud 4,4,126

Tu sussultas, égo míser vix ásto prae formídine.
He. Satĭn' mi exquisitum ístuc est fuísse hunc servom in 'Alide?
Néque esse hunc Philocratém? *Ar.* Tam satis, quam númquam invenies hóc secus.
Séd, ubi is nunc est? *He.* 'Ubi ego minime, atque ípsus se volt máxume.
Tum ígitur ego derúncinatus, deártuatus súm miser
Húius scelesti téchnis; quí me, ut lúbitumst, ductavít dolis.
Séd vide sis. *Ar.* Quin éxploratum díco et provisum hóc tibi.
He. Cérton'? *Ar.* Quin nihil, ínquam, invenies mágis hoc certo cértius.
Phílocrates iam inde úsque amicus fúit mihi a pueró puer.
He. Séd qua facie est túus sodalis Phílocrates? *Ar.* Dicám tibi:
Mácilento ore, náso acuto, córpore albo, oculís nigris,
Súbrufus, aliquántum crispus, cíncinnatus. *He.* Cónvenit.
Tyn. 'Ut quidem, hercle, in médium ego hodie péssume procésserim.
Vaé illis virgis míseris, quae hodie in térgo morientúr meo.
Hé. Vérba mihi data ésse video. *Tyn.* Quíd cessatis cómpedes
Cúrrere ad me, méaque amplecti crúra, ut vos custódiam?
He. Sátin' me illi hodié scelesti cápti ceperúnt dolo?

---

rectum interponas, allocutio non recte procedit, quae requirit, ut *dierectum cor meum* proxime cum antecedentibus iungantur. Igitur in vulgata acquiescendum putavi. De significatione v. *dierectus* adi Rostium, V. Cl., in Plautinorum cuped. ferculo III, pag. IV. et quae secundum eius praeclaram explicationem notavi ad h. l. in maiori Edit. Ceterum *dierectum* duas priores producit, raro per synizesim ut unam profert.

104. Cod. Sur. *susultas.* Gu. membr. *susaltas.* Gu. chart. ut editum est. Langg. *suffultum.*

105. *Satĭn mi exquisitum istuc est.* Ita versum rationibus omnibus exputatis scribendum putavi. Vulgo: *Satin istuc mihi exquisitum est fuisse.* Cod. Sur. non habet *istuc*, cui consentit Gu. chart. In Gu. membr. desunt *istuc* et *hunc*. In Leid. A. *istuc* et *fuisse*. In Leid. B. *istuc* et *mihi*. In Leid. C. *istuc.* Langg. totum versum ita exhibent: *Satin exquisitum mihi istuc est fuisse servum in Alide hunc.* Voss. A. et B. cum vulgata facere videntur, quae lectio improbanda, quod *mihi* personale pronomen ex consuetudine Latinorum praeponendum erat. *Serv o m* e Cod. Sur. et Gu. chart. ubi *serv o n.*

106. *Invenies hóc secus* Codd. Sur. Gu. uterq. Vulgo *h. i. secus.*

107. *Volt* e Cod. Sur. scripsi.

111. *Nihil unquam invenies* Leid. C. Gu. membr. Edd. vett. *nihil unquam invenias* Gu. chart. *inquam inveneris* Leid. B. Recte *inquam* Langg. Leidd. A. B. Voss. A. B. Sur.

114. Vulgo: *Et oculis n.* Atque ita Codd. omnes et Edd. vett. *Et* a metro excluditur.

116. *Pessume* Cod. Sur.

118. Apposite comparat Bosscha locum Aristophanis Plut. v. 275. *Αἱ κνῆμαι δέ σου βοῶσιν 'Ιού, ἰού, τὰς χοίνικας καὶ τὰς πέδας ποθοῦσαι.*

'Illic servom se ássimulabat, híc sese autem liberum.
Núculeum amisí, reliqui pígnori putámina.
'Ita mi stolido súrsum vorsum os súblevere offúciis.
Híc quidem me numquam írridebit. Cólaphe, Cordalió, Corax,
'Ite istinc, atque ecférte lora. *Lo.* Núm lignatum míttimur?

Actus III. Scena V.

Hegio, Tyndarus, Aristophontes, Lorarii.

'Inicite huic mánicas mastígiae.
Tyn. Quid hoc ést negoti? quíd ego deliquí? *He.* Rogas?
Satór sartorque scélerum, et messor máxume.

---

121. Cod. Sur. *Servon sese adsimulabat.* Quattuor Bosschae *servom sese.* Cod. Gu. membr. *servum sese esse.* Gu. chart. *Servon sese assimulabat.* Unus Voss. A. *servom se.*

122. Vulgo: *Nucleum — reliquit*, atque ita Sur. multique alii. Sed Langg. *Nuculeum.* Cod. Cam. Leid. A. *reliqui.* Gu. membr. *reli* (sic), lacuna relicta. Unde fons erroris ostenditur. Erat enim ultima syllaba per compendium scripta, quod alii *qui*, alii *quit* interpretati sunt, alii, ut Gu. membr., scribere dubitarunt. Tum *pignori* scripsi e Codd. Sur. Gu. utroq. Cf. quae supra dixi ad II, 3, 73.

123. Multi *sursum vorsus*, adversante metro. Tum vulgo: *os sublevere off.* Sed Cod. Cam. *sublinere* h. e. *sublivere*, quod ipsum sic emendate scriptum praebent Langg. Sur. Gu. uterq.

125. Lamb. *istuc* quod male recepit Bosscha. Recte vulgata cum Codd. Sur. Langg., omnibus Bosschae, Gu. utroq. *istinc.* Tum *hec ferte lora* Sur. *haec f. l.* omnes Bossch. *ecferte* Cod. Cam. notante Scioppio. Pro signo personae *Lo.* in Cod. Sur. est *col.* atramento scriptum contra Codicis consuetudinem, ubi personarum notae rubro sunt notatae.

1. Versus est creticus trimeter, quemadmodum supra Captiv. II, 1, 11. et III, 2, 2. *'Inicite.* Ita pridem correxeram vulgatam *Iniicite;* nunc video Gu. chart. ita diserte exhibere, ubi quum sit scriptum *Iniicite*, ab eadem manu diligenter correctum *inicite.* Tum antiquiores edd. omnes, etiam Camerarii, post v. *huic* interponunt *actutum*, quod ab omnibus Codd. ignoratum addidisse se fatentur Editores Parm. Recte iam Gronov. omisit.

3. Hunc et duo seqq. versus citat Nonius v. *Sartores* pag. 7. Merc. sed hoc ordine verborum:

Sartor satorque scelerum et messor maxume.
Non occatorem prius audebas dicere?
Nam cet.

Sed Codd. omnes *Sartori satorem* praeponunt cum vulgata. Salmasius Plin. Exercitt. pag. 512. dicitur a Gronovio ad hunc locum ostendisse, apud Veteres satis demum frugibus occationem locum habuisse; quam non esse Salmasii sententiam, notavit Bosscha. Sed idem ex Varronis loco I, 29. apparere videtur, quum dicit: *Tertio cum arant iacto semine, boves lirare dicuntur, id est cum tabellis additis ad vomerem simul et satum frumentum operiunt in porcis et sulcant fossas, quo pluvia aqua delabatur. Nonnulli postea, qui segetes non tam latas habent, ut in Apulia, id genus praedii per sarritores occare solent.* Manifestum est, Varronem non sic loqui, tanquam occatio post sationem peculiare aliquid sit, quod in Apulia tantum lo-

Tyn. Non óccatorem dícere debebás prius?
Nam sémper occant príus, quam sarriunt rústici.
He. At út mihi confidénter contra astitit!
Tyn. Decet ínnocentem sérvom atque innóxium
Confidentem esse, suum ápud herum potíssumum.
He. Astríngite isti, súltis, vehementér manus.
Tyn. Tuús sum, tu has quidém vel praecidí iube.
Sed quíd negoti est, quámobrem succensés mihi?
He. Quia mé meamque rém, quod in te unó fuit,
Tuís scelestis fálsidicis fálláciis
Deláceravisti, deártuavistíque opes,
Confécisti omnis rés ac rationés meas.
Ita mi exemisti Phílocratem fálláciis.
Illum ésse servom crédidi, te líberum.
Ita vósmet aiebátis, itaque nómina

---

cum habeat, sed eam per sarritores ibi fieri, quum alibi vulgaris occatio post sationem in usu sit. *Sartorem* autem non a *sarriendo* revera h. l. Plautino dici, verum iOculariter sic accipi a Tyndaro, iam Gesnerus in thesauro s. v. *sartor* ostendit.

4. *Non occatorem.* Plurimi Codd. et Ed. princeps *non* omittunt, quod Edd. Parm. ex Nonio addiderunt; sed habent quattuor apud Bossch. Tum Codd. uti nos dedimus, praeter unum Regium II. apud Avell. qui *audebis*, et duos apud Bossch., qui cum Nonio faciunt. Vulgata cum Nonio facit, unde desumpta est. Mihi istud *audebas* non placet, quia cur Tyndarus Hegionem non ausum esse illud, dicat, non intelligitur.

5. *Sarriunt* per synizesin ut disyllabum pronunciandum, ut saepe.

6. Vulgo: *At ut confidenter mihi contra astitit*, atque ita Codd. quod sciam omnes cum Editionibus, nisi quod plerique Codd. *assistit* vel *adsistit.* Errori occasionem dedit, quod librarii antiquissimi hiatum in v. *contra* transpositione sanare vellent et praesentis notionem in v. *astitit* non agnoscerent. Quare *mihi* ante *confidenter* collocavi, quem locum obtinere debet ex linguae legibus. Non enim *mihi contra* intellectu iungenda sunt, sed *mihi confidenter.* Ceterum plane geminus locus, qui ad defendendam huius loci lectionem facit, legitur Pseud. I, 5, 44.

Ca. Bene confidenterque astitisse intellego.
Pseud. Decet innocentem, qui sit, atque innoxium
Servom superbum esse apud herum potissumum.

7. *Servom*, in qua voce est hiatus, dedi e Cod. Gu. chart.

8. *Potissumum* scripsi e Cod. Sur.

10. Vulgo: *Tuas quidem*, e Cod. Cam. quemadmodum etiam Voss. A. exhibet. Recte reliqui omnes *tu has quidem*, quod iam vindicavit Giphanius. *Tuus servus tu has quidem* Sur. *Tuus sum tu has equidem* Gu. chart. *Vel* deest in Gu. membr.

12. *Te in uno* Gu. chart. non male, si legatur: *tĕ ĭn ūno;* in qua lectione consentiunt Leid. B. C. et Voss. B.

15. *Omnis* dedi e Cod. Gu. membr.

16. *Ita mihi et emisisti* Sur. Gu. chart. (sed in hoc corr.) Voss. B. et Leid. *Ita mihi et amisisti* Gu. membr., quae enotavi, ut ostenderem, quemadmodum etiam vulgatissima et facillima corrumpi soleant.

Intér vos permutástis. *Tyn.* Fateor, ómnia
Facta ésse ita, ut tu dícis, et falláciis
Abísse eum abs te, méa opera atque astútia,
An, óbsecro hercle te, íd nunc succensés mihi?
He. At cúm cruciatu máxumo id factum ést tuo.
Tyn. Dum ne ób malefacta péream, parvi aéstumo.
Si ego híc peribo, ast ílle, ut dixit, nón redit;
At erít mi hoc factum mórtuo memorábile,
Herúm me captum, ex sérvitute atque hóstibus
Reducém fecisse líberum in patriam ád patrem;
Meúmque potius mé caput perículo
Praeóptavisse, quam ís periret, pónere.
He. Facito érgo ut Acherúnti clueas glória.
Tyn. Qui pér virtutem périit, at non ínterit.
He. Quando égo te exemplis éxcruciavero péssumis,
Atque ób sutelas tuás te morti mísero,

---

24. Gulielm. coniecerat *parvid aestumo*, ad evitandum hiatum scilicet. Alii interposuerunt *id*. Nusquam in Codd. comparet *id*. *aestumo* scripsi e Sur. ubi *estumo* Gu. membr. *extumo*, quemadmodum h. v. ibi semper scribitur. Bothius dedit *parvi existumo*.

27. Vulgo: *Meum herum captum;* atque ita Codd. ad unum omnes. Apparet, possessivum *meum*, quod nullius est ad sententiam momenti, saltem non anteponendum fuisse. Sed desideratur subiectum, quare non dubitavi cum Bothio scribere: *Herum me*, quod primum, quia pronum erat, in *Herum meum* corruptum, tum etiam transpositione pessumdatum est. Simili modo omittunt *me* Codd. infra v. 29. ubi vel ob versum ponendum est, quemadmodum etiam ponunt quattuor apud Bosscham.

31. Codd. Sur. Gu. chart. *Acheronti*. Gu. membr. *Acherontis*. Tum *ducas gloriam* Sur. Gu. uterq. quattuor apud Bossch. *ducat gloriam* Leid. B. Error facilis ac solennis. Etiam Langg. *gloriam*, nimirum quum semel *ducas* scriptum esset, accusativus ut scriberetur, consequens erat in omnibus. Sic *victoria cluere* legitur apud Plaut. Poen. V, 4, 20. *Acherunti* casus est locativus; praeterea notanda prima in h. v. producta. Cf. Hermann. ad Eurip. Hecub. v. 1.

32. Vulgo: *Peritat non interit*. Atque ita Codd. Sur. Gu. chart. omnes apud Bossch. et, si recte intelligo, etiam omnes apud Avellin. Idem hic versus citatur apud Non. pag. 422. Mercer. ubi ita: *Qui per virtutem perit, at non interit.* Scaliger scribendum suasit: *perbitat, non int.* Sed coniunctivus locum non habet. Et quod provocant ad Non. pag. 153. ubi ex Livio Andr. citari dicunt *perbitare*, id nihili est, nam ibi quoque est coniunctivus: *Ne fame perbitat.* In duobus Codd. *peritat is* se legisse, testatus est Valla, quod a Bosscha receptum. Sed non alibi invenitur hoc frequentativum praeter Lucret. III, 710., ubi lectio incerta; neque in usu fuisse puto. Cod. Gu. membr. *periit non interit.* Quare, collato Nonio, scribendum putavi *periit, at non interit.* *At* notissimo usu fere idem, quod *saltem*. Quid differant *perire* et *interire*, docet Non. loco citato his verbis: *Perire levior res est et habet inventionis spem et non omnium rerum finem.*

33. *Excruciavero*. Sic Codd. atque Edd. omnes, etiam vulgata. Recte. Scribendum, ut dedimus, pronunciandum *excruciaro*.

Vel te ínterisse, vél perisse praédicent,
Dum péreas, nihil intérduo, dicant vívere.
Tyn. Pol si ístuc faxis, haúd sine poena féceris,
Si ille húc redibit, sícut confido áffore.
Ar. Pro dí ímmortales! Núnc ego teneo, núnc scio
Quid sit hóc negoti. Méus sodalis Philocrates
In líbertate est ád patrem, in patriá. Bene est.
Nec ést mihi quisquam, aéque melius quoí velim.
Sed hóc mihi aegre est, me huíc dedisse operám malam,
Qui núnc propter me méaque verba vínctus est.
He. Votuín' te quicquam mi hódie falsum próloqui?
Tyn. Votuísti. *He.* Cur es aúsus mentirí mihi?
Tyn. Quia véra obessent ílli, quoi operám dabam;
Nunc fálsa prosunt. *He.* 'At tibi oberunt. *Tyn.* 'Optume est.
At herúm servavi, quém servatum gaúdeo,
Quoi mé custodem addíderat herus maiór meus.
Sed málene id factum arbitráre? *He.* Péssume.
Tyn. At ego áio recte, qui ábs te seorsum séntio.
Nam cógitato, sí quis hoc gnató tuo
Tuus sérvos faxit, quálem haberes grátiam?
Emítteresne nécne eum servóm manu?

---

36. Codd. Gu. uterq. Sur. Bosschae omnes, multi apud Avell. *interdico* pro *interduo*. Recte Gul. Veris. III, 1. *interduo* emendavit, id quod postea receptum. Rud. II, 7, 22. *cicum non interduim*. Trin. IV, 2, 152. *Ceterum qui sis, qui non sis, floccum non interduim*.

42. Vulgo: *Nec est quisquam mihi, aeque melius cui velim.* In qua lectione *mihi* non suo loco positum. Codd. nihil variant, nisi quod plurimi *aeque cui melius*. Sed vulgatum ordinem tuentur Gu. membr. et tres apud Bosscham. *Quoi* e Cod. Sur. De formula *aeque* cum comparativo cf. infra ad IV, 2, 48.

45. *Votuin*. Ita Cod. Voss. A. Idem in Cam. Ms. teste Taubmanno, dissentiente Scioppio, qui *vetavin* citat. Sed Langg. *votuint*. Leid. B. *votavin*. Vulgo: *vetuin*. De forma cf. Reuvens Collectt. V, 1. Adde Plauti Asin. IV, 1, 14. qui locus citatur a Nonio p. 45. voce *Votitum*. Cassiodor. de orthogr. p. 2283.

46. *Votuisti*. Sic Cod. Voss. A. *votavisti* Cam. Ms. *vetavisti* plerique alii. Vulgo: *vetuisti*. Ceterum *quor* pro *cur* est in Cod. Sur.

47. *Quoi*. Ita Cod. Sur.

48. *Optume est* eodem iure dicitur, ut *bene est* supra v. 41. Et alibi persaepe. Non recte igitur *optumum est* in Cod. Sur. nec melius *optumum* in Cod. Cam. et Gu. 1. aliisque multis. Adde Plaut. Bacch. III, 4, 8.

50. *Quoi* e Cod. Sur.

51. Omnes Codd.: *Sed malene id factum arbitrare;* recte. Vulgatus ordo hiatum vitandi studio originem debet. Unus Gu. membr. exhibet *Sed ne id male f. a.* et Leid. B. *factum est*, quod fortasse *factum esse* scribere voluit librarius.

54. *Tuus servos* Sur. Gu. chart. Ita v. 55. *servom* Gu. chart.

Essétne apud te is sérvos acceptíssumus?
Respónde? *He.* Opinor. *Tyn.* Cúr ergo iratús mihi es?
He. Quia illí fuisti, quám mihi, fidélior.
Tyn. Quíd? tu úna nocte póstulavisti ét die,
Recéns captum hominem, núperum, novítium,
Te pérdocere, ut mélius consulerém tibi,
Quam illí, quicum una a púero aetatem exégeram?
He. Ergo áb eo petitò grátiam istam. — Dúcite,
Ubi pónderosas, crássas capiat cómpedes,
Inde íbis porro in látomias lapidárias.
Ibi quom álii octonos lápides effodiúnt, nisi
Quotídiano sésquiopus conféceris,
Sexcéntoplago nómen indetúr tibi.
Ar. Per deós atque homines égo te obtestor, Hégio,
Ne tu ístunc hominem pérduis. *He.* Curábitur.
Nam nóctu nervo vinctus custodíbitur,
Intérdiu sub térra lapides éximet.

---

56. *servos* Cod. Sur. Gu. chart.

57. *Quor ergo* habet Sur. Cf. supra v. 46. Tum pro *iratus* in aliquot Codd. legitur *ingratus*, quod miror, a Bosscha receptum esse.

60. *Nuperum*, *novitium.* Ita hic versus citatur apud Priscianum III, 3. tom. I, p. 117. ed. Krehl. et apud Nonium p. 143. Vulgo: *nuperum et novitium*, in qua lectione consentiunt Codd. Sur. Gu. membr. tres apud Bosscham. *Et nuperum et nov.* Ed. Princ. Codd. Langg. *nuperum* deest in Voss. A. qui *et* retinet; *nup. etiam nov.* Leid. C. Mira habet Gu. chart., quem Helmstadiensem dicit Bothius, ubi ita:

...... recens captum homi. est imperium
Haud repentinas esse oportet amicitias
neque veteres idcirco

cum glossa: *deserendas.* Qui locus unde desumptus et margini codicis ascriptus fuerit, nescio. Bothius in maiori Plauti Ed. quam in hominum elegantiorum usum concinnarat, in versum verba coegit, tanquam revera essent Plautina, a qua sententia ipse postea discessit.

65. *Latomias lapidarias.* Adiectivum additum, quod *latomiae* vocabulum paullatim generalem carceris notionem, vel loci ad recipiendos damnatos, induerat.

66. 67. Vulgo: *Lapides effodint, Nisi cotidianus.* Verum *effodiunt* Codd. Sur. Gu. uterq. Cam. Langg., duo apud Bosscham, qui *effoderint* dedit e duobus Codd. suis Voss. A. Leid. C. At neque coniunctivus neque futurum locum hic habet, verum indicativo est opus, id quod vidit Bentleius ad Terent. Heaut. IV, 5, 7. Vulgata etiam versui repugnat. *Quotidiano* legendum esse, monuit Bentl. ad Terent. l. c. ubi etiam exempla huius adverbii congesta reperies. Tum tenendum alteram in hac voce syllabam semper apud scenicos poetas produci. *Quotidianos sesquiopus* Cod. Sur. *Cottidianos sexq.* Gu. uterq. Eystad. *Cotidianos sesquiopus* Ms. Cam. Vide etiam Gul. Quaestt. in Captiv. III, pag. 79.

72. Vulgo: *interdius.* Sed Codd. Sur. Gu. membr. omnes apud Bossch. *interdiu.* Gu. chart. *interdum*, sed corr. *interdiu.* Edd. Pr. Parm. *interdiu.* Alibi satis munitum est *interdius*, veluti Aulul. I, 1, 33. Rud. prol. 7.

Diu ego húnc cruciabo, nón uno absolvám die.
Ar. Certúmne est tibi istuc? *He.* Nón moriri cértius.
Abdúcite istum actútum ad Hippolytúm fabrum,
Iubéte crassas cómpedes impíngier.
Inde éxtra portam, ad méum libertum Córdalum,
In lápicidinas fácite deductús siet.
Atque húnc me ita velle, dícito, curarier,
Ne quí deterius huíc sit quam quoi péssume est.
Tyn. Cur égo te invito me ésse salvum póstulem?
Períclum vitae meaé tuo stat perículo.
Post mórtem in morte níhil est, quod metuám, mali.
Etsí pervivo usque ád summam aetatém, tamen
Breve spácium est perferúndi, quae minitás mihi.
Vale átque salve; etsi, áliter ut dicám, meres.
Tu Arístophontes, dé me ut meruisti, íta vale,
Nam míhi propter te hoc óbtigit. *He.* Abdúcite.
Tyn. At únum hoc quaeso, si húc rebitet Phílocrates,
Ut mi éius facias cónveniundi cópiam.
He. Perístis, ni hunc iam é conspectu abdúcitis.
Tyn. Vis haéc quidem hercle est, ét trahi et trudí simul.
He. Ille ést abductus récta in phylacam, ut dígnus est.
Ego illís captivis áliis documentúm dabo,
Ne tále quisquam fácinus incipere aúdeat.
Quod ábsque hoc esset, quí mihi hoc fecít palam,

---

74. *Certius* scripsi e Cod. Sur. Gu. chart. Vulgo: *certiu'st.*

79. Vulgo: *Atque hunc ita velle dicite.* Codd. addunt pronomen *me*, sed de loco non consentiunt. Versus nihil dubii relinquit, quin ibi interponendum sit, ubi nos posuimus. Nam in Leid. B. quod est: *Atque hunc me velle ita dicite cruciarier;* intelligitur, *ita* non tam longe ab initio enunciati removeri posse. Ceterum *dicito*, quod metri caussa scribendum est, confirmatur a Gu. membr. Oratio a pluribus ad unum deflectit, id quod in allocutionibus saepissime accidit.

80. *Quoi* e Cod. Sur.

81. Pro v. *Cur* in Sur. *Quor;* cf. supra v. 57.

82. *Vitae meae tuo stat.* Hunc meliorem ordinem cooptavi e Codd. Sur. Gu. utroq. Langg. omnibus apud Bossch. Vulgo: *stat tuo.*

84. *Etsi supervivo* enotatur e Ms. Cam. pro quo malebat Sciopp. *Etsi superfuo.* Recte reliqui omnes: *Etsi pervivo.*

88. *Nam mihi propter te.* Hanc omnium Codd. lectionem cur Bosscha mutaverit scripseritque: *Nam propter te hoc obtigit mi*, non intelligo, nisi forte accentui in v. *propter* metuebat. Frustra. Vix aliter invenias apud Plautum, nisi *proptér te, praetér me, intér vos* cet.

93. *Ut dignus est* Graeca structura, *δίκαιός ἐστιν, ἄξιός ἐστιν*, ut meritus est.

96. *Quod absque hoc esset.* *Quod* additur ad significandum nexum cum superioribus, eodem illud usu, quo dicitur *quod si, quod nisi, quod utinam; drum, daher, διό.* Formula scenicis poetis familiaris: *absque hoc esset, absque te esset*, semper in protasi ponitur, tanquam si dicatur: *si is non es-*

Usque óffrenatum suís me ductarént dolis.
Nunc cértumst nulli pósthac quicquam crédere.
Satis súm semel decéptus; speraví miser
Ex sérvitute me éxemisse filium.
Ea spés elapsa est. Pérdidi unum filium,
Puerúm quadrimum quém mihi servos súrpuit;
Neque eum servom umquam répperi, neque filium;
Maiór potitus hóstium est. Quod hoc ést scelus!
Quasi in órbitatem líberos prodúxerim.
Sequere hác; reducam te úbi fuisti. Néminis
Miseréri certum est, quía meí miseret néminem.
Ar. Exaúspicavi ex vínclis; nunc intéllego,
Redaúspicandum esse ín catenas dénuo.

Actus IV. Scena I.

Ergasilus.

Iúpiter supréme, servas mé, measque augés opes.
Máxumas opímitates ópiparasque offérs mihi.
Laudém, lucrum, ludúm, iocum, festívitatem, férias,
Pompám, penum, potátiones, sáturitates, gaúdium.
Néc quoiquam homini súpplicare mé nunc certum ést mihi;

---

set, si tu non esses, quemadmodum saepe in protasi particula conditionalis omittitur. Ceterum de usu voc. *absque* cf. Vorst. de Lat. merito suspect. 9. Oudendorp. ad Cic. de Invent. I, 36. Sciopp. Verisim. III, 13.

97. *Offerre natum* Cod. Sur. Gu. chart. *afferre gnatum* Gu. membr. *offer enatum* Langg. Recte I. Gul. Veris. III, 1. *offrenatum*, de qua v. notione eundem Gulielmum v. ibidem. *offerre* vel *efferre natum* omnes apud Bossch.

98. *Posthac.* Vulgo *Posthaec.* Codd. Sur. Gu. chart. *post hec*, sed recte Gu. membr. *posthac.*

102. *Servos* dedi e Cod. Sur.

103. *Neque eum.* Nescio unde Gronoviana *Neque enim.* Codd. enim atque edd. omnes, etiam recentiores: *Neque eum. Servom* dedi e Cod. Sur. ubi *servon.*

105. *Filios* pro v. *liberos* exhibent S. Eyst. Gu. membr. quod pro interpretamento habeo. Certe meliores apud Bosscham et edd. vett. *liberos.* Multi etiam Codd. *perduxerim.*

106. Citant hunc v. plures Grammatici, Charis. p. 111. p. 134. Non. pag. 143. v. *Neminis.* Priscian. VI, 3, tom. I, pag. 228. alius aliter, recte solus Charis. l. c.

108. *Exauspicare* est cum auspicio egredi; *redauspicare* ad auspicia repetenda regredi.

3. De metro cf. Herm. Elem. doctr. metr. pag. 167. ubi sic ille: *Singulare est, quod saepe, ubi vel enumeratio aliqua multarum rerum vel alia descriptio ponitur, mutari numerus solet.*

4. *Saturitates* scripsi e Gu. membr.

5. Vulgo: *supplicare nunc certum est mihi.* Sed Codd. praeter unum

Nám vel prodesse amíco possum, vél inimicum pérdere.
'Ita hic me amoenitáte amoena amoénus oneravít dies.
Síne sacris heréditatem sum áptus effertíssumam.
Nunc ád senem cursúm capessam hunc Hégionem, quoí boni
Tantum áffero, quantum ípsus a Dis óptat, atque etiam ámplius.
Nunc cérta res est, eódem pacto ut Cómici servi solent,
Coniíciam in collum pállium, primo éx me hanc rem ut aúdiat.
Speróque me ob hoc núncium aevitérnum adeptum cibum.

Voss. A. omnes *me* interponunt. Ultima in v. *certum* non eliditur. *Quoiquam* e Cod. Sur.

6. Vulgo: *Nam vel prodesse.* Atque ita Codd. omnes. Putabam olim, prius *vel* ab eruditulo additum esse, omiserantque iam Edd. Parm.; sed videtur ad sententiam esse necessarium. Quare retinui, sic tamen, ut metrum trochaicum mutandum esse non existimarem, quum *prŏdĕssĕ* dactylus esse possit.

7. *Amoenitate amoena amoenus.* Dicendi artificium, Plauto perquam familiare, veluti Amphitr. I, 1, 122. *Optumo optume optumam operam das.* Infra Capt. IV, 2, 45. *Regum rex regalior.* Compositionis eiusmodi, qualis est in vv. *amoenitas amoena*, exempla e Plauto congessit Lamb. ad h. l. veluti: *nitor nitidus*, *pretium pretiosum*, *pulchra pulchritudo*. Mirum est, plerosque Codd. in fine exhibere: *oneravit mihi.* Sed Cod. Sur. in margine *dies* et Voss. A. recte *dies* habet suo loco.

8. Plerique Codd. *sum adeptus.* Unus Gu. membr. *adeptus sum.* Langg. un. apud Sciopp. *sum nactus.* Sed Bosschae omnes, ut videtur, *sum aptus*, ut vulgo, quod verum. *Hereditas sine sacris* est ditissima, luculentissima. Sacra gentilicia apud Romanos in hereditate pecuniam sequebantur, et is, qui ex hereditate pecuniam acciperet, sacra familiae faciunda in se recipiebat. Cf. Cic. de Legg. II, 19. 48. et ibi interprett.

9. Mutatur numerus mutato orationis colore et mentis impetu deminuto. *Quoi* dedi e Cod. Sur.

10. Retinui *affero* i. e. *nuncio.* *Offero* Codd. Sur. Eyst. Edd. Pr. Parm. Tum vulgo: *ipse a diis optat*, atque ita Codd. Sur. Gu. chart. Bosschae omnes. *a diis ipse petit atque* Gu. membr. *ipse aedis optat* Ms. Cam. teste Taubm. *ipse adipisci optat* scripsit Cam. eumque secuti sunt Lambin. Douza aliique. Cf. Gruter. suspicc. VI, 14. qui tamen malebat: *a dis apisci optat.* Bosscha scripsit: *ipse a Dis sibi* non male, si constaret, unde illatum illud *adipisci.* Nunc potius cum Bothio faciendum existimavi, qui in priori Ed. *ipsus* recte mihi scripsisse videtur.

11. Vulgo: *Nunc res certa est*, quod et metrum et sententia reiicit. Quare lectio Codd. omnium retinenda est: *N. certa res est.* Carpit Rostius in dissert. *de Plauti auctoritate ad faciendam rer. antt. fidem* p. 13. quod in Comoedia de personis comicis sermo sit, quia ita pereat τὸ ἔμφαινμα; sed praeter caussam. Id enim ipsum est ioculare et maxime ad persuasionem accommodatum, quod in fabula sermo est de fabularum actione, tanquam nunc non fabula, sed res seria ac vera agatur. Persimili modo in Aristoph. Ran. v. 12 sqq. *Eodem pacto quo* Eyst. apud Sciopp.

12. *Ex me primo rem hanc ut* scripsit Bosscha non monito lectore. Codd. et vett. edd. omnes, ut dedimus cum vulgata. *Me* non coalescit.

13. *Me ob hoc nuncium.* Ita scribendum fuit ex Codd. Sur. Gu. utroque. E suis nihil notavit Bosscha, qui cum vulgata scripsit *ob hunc n.* De neutro *nuncium* cf. Interpp. ad Catull. LXII. 75. Ceterum pronunciandum: *Mĕ*

Actus IV. Scena II. *)

Hegio, Ergasilus.

Quanto ín pectore hánc rem meó magis volúto,
Tantó mi aegritúdo auctiór est in ánimo.
Ad íllum modúm sublitum ós esse hodié mi!
Neque íd perspicere quívi!
Quod quóm scibitúr, tum per úrbem irridébor.
Quom extémplo ad forum ádvenero, ómnes loquéntur:
Hic ílle est senex dóctus, quoí verba dáta sunt.
Sed 'Ergasilus éstne hic, procúl quem .... vídeo?
Colléсto quidem ést pallió, quídnam actúru'st?
Er. Move ábs te moram ómnem, atque, 'Ergasile, age hánc rem

---

ob hoc. Tum *aeviternum* recte scripsit pro vulgato *aeternum*, quod Codd. servant, Bosscha, provocans ad Prisciani lib. II, 11, 62. ed. Krehl.

*) Canticum in hac fabula tertium, motu plenissimum et actuosum. Saltat Ergasilus.

1. Versus sunt bacchiaci. Retinui vulgatum ordinem, quocum conspirant Voss. A. et Leidd. B. C. et edd. vett. *Quanto in pectore hanc meo magis rem voluto* Sur. Gu. uterq. (nisi quod membr. *pectore hoc meo*) Voss. B. Leid. A.

2. *Auctior* ultimam ex lege producit.

3. Vulgo: *Sublitum os esse Hodie mihi.* Atque ita Ms. Cam. *Hodiè* deest in Sur. et Gu. utroq. et quattuor apud Bossch.; adest tamen in Voss. A. *mihi* deest in Langg., qui *hodie* tuentur. *Hodie mihi* tenent etiam edd. vett. Quare scripsi *hodié mi*, *mi* encliticum existimans, et *hodie* disyllabum.

4. Iambicus dimeter catalecticus in clausula bacchiacorum. Cf. Herm. Elem. d. metr. pag. 299. Ceterum Codd. quidam *prospicere*.

5. Deest *tum* vulgo atque in omnibus Codd. et edd. vett. Ad versum fulciendum Bosscha interposuit *iam*, ad sententiam non male. Nec tamen credibile est, *iam* excidisse, si lectum esset. Probabilius mihi videbatur, *tum* scriptum *tū* absorptum fuisse ab ultima syllaba verbi praecedentis. Amat saltem Plautus, ita iungere *cum* et *tum*, veluti Truc. I, 2, 88. *Quom amamus, tum perimus.* Casin. I, 1, 51. *Quom mihi haec dicentur dicta, tum tu furcifer, Quasi mus in medio pariete vorsabere.* Bacch. I, 2, 37. *Quom videbis, tum scies.*

6. *Quom* dedi e Cod. Sur. quemadmodum superiori versu.

7. *Doctus.* Hanc aliorum emendationem stabilivit Douza Plautt. expll. I, 19. laudato e Persa loco IV, 4, 45. *Vide sis, ego ille doctus leno paene in foveam decidi.* Vulgo cum omnibus Codd. et edd. vett. *ductus*, i. e. deceptus, quod frustra defendit Bosscha. Frigidissima enim est tautologia: *ductus cui verba data sunt.* *Quoi* e Cod. Sur.

8. *Ire video* edidit Bosscha. Sed deest *ire* in omnibus Codd. atque edd. vett. Bothius olim *ego* interposuerat. Neutrum satis convenit. Ego lacunam significavi.

10. Vulgo: *moram atque Ergasile*, qua cum lectione omnes sentiunt Codd. atque edd. vett. *Omnem* recte mihi interposuisse videtur Bosscha. Sed non video, cur idem scripserit: *Ergasile atque*, quum ordo vulgaris, quem defendunt Codd. omnes, retineri possit. *Omnem*, in Cod. scriptum *om̄*,

'Eminor intérminorque, né quis obstiterít óbviam,
Nísi qui satis diú vixisse sése homo arbitrábitur.
Nám qui obstiterit, óre sistet. *He.* Híc homo pugilatum íncipit.
Er. Fácere certumst. Proínde ut omnes ítinera insistánt sua,
Né quis in hac plateá negoti cónferat quicquám sui.
Nám meus est ballísta pugnus, cúbitus catapulta ést mihi,
Húmerus aries. Túm genu ad quemque ícero, ad terrám dabo.
Déntilegos omnés mortales fáciam, quemque offéndero.
He. Quae íllaec eminátio est? Nam néqueo mirarí satis.
Er. Fáciam ut huius diéi locique, meíque semper méminerit;
Quí mi in cursu obstíterit, faxo vítae is obstiterít suae.
He. Quíd hic homo tantum íncipessit fácere cum tantís minis?
Er. Príus edico (né quis propter cúlpam capiatúr suam):
Cóntinete vós domi, prohibéte a vobis vím meam.
He. Míra edepol sunt, ni híc in ventrem súmpsit confidéntiam.
Vaé misero illi, quoíus cibo iste fáctu'st imperiósior.

---

a terminatione vocabuli praecedentis absorptum est; ultima non coalescit in medio versu, quemadmodum idem in creticis fieri solet.

11. Sequuntur trochaici tetrametri catalectici. Ultima in *Eminor* ex lege producitur. Tum vulgo: *ne quis mi obst. obv.* Atque ita plerique Codd. ut *ne quis obst.* Gu. membr. *ne quis obst. mihi obv.* Leid. B. *Mi* et ad sensum et ad metrum supervacuum est.

12. *Satis diu* scripsi cum Codd. omn. et edd. vett. Vulgo *sat.*

17. *Genu' ad quemque icero.* Vulgo: *iecero*, atque ita plerique Codd. atque ex edd. vett. Pr. et Parm. Sed Codd. Pall. teste Bothio *iero.* Camerarius dedit *ut quemque icero*, quod, teste eodem Bothio, iam Ald. et Iunt. exhibent. *Ad* in Codd. est omnibus, quod retinendum fuit. Non enim intelligitur, quidni dici possit *icere ad aliquid.* Videtur autem *genu* non sextus esse casus, sed quartus. *Quemque*, pro eo quod usitatius est *quemcunque*, saepissime apud Plautum. Codd. variant inter *quemque*, *quemcunque*, *aliquemcunque*.

18. *Dentilegos*, *dentilecos*, *dentiloquos* variant Codd. Non male *dentiloquos*, quum nemo colaphis mulcatus, dentes excussos facile colligat.

20. *Huius* exhibui pro vulgato *eius* e Codd. Sur. Gu. utroq. Voss. A. B. Leid. B. Eystad. edd. Pr. Parm.

21. Vulgo: *vitae is extemplo obst.* In Cod. Sur. vv. *is extemplo* desunt. *Vitae is obst.* recte Gu. membr. *vitae is ut obst.* Gu. chart. *Extemplo* tamen exhibent quattuor Bosschae; unus Leid. B. ignorat. Excluditur id voc. a metro pariter atque a sententia.

22. Codd. variant ita: *incipissit*, *incepiscit*, *incipiscit.* Cf. quae dixi supra ad II, 1, 22. et I, 2, 59.

26. Complurimi Codd. *impensior*, quod sunt qui explicent: *farctior*; *fortior* autem pro glossa est in Cod. Gu. chart., *audacior* pro glossa in Cod. Gu. membr. Utraque glossa defendit vulgatum *imperiosior*. Idque unus Cod. Reg. 1. habet apud Avell. et Ms. Cam., ubi ab altera manu est *imperiosior*. Originem vitii ostendit Cod. Reg. 2. apud Avell. ubi est *impesior*. Scriptum haud dubie fuit in archetypo: *imp osior*, unde reliqua vitia orta. *Quoius* monosyllabum est, atque ita dedi e Cod. Sur.

Er. Túm pistóres scróphipasci, quí alunt furfurí sues,
Quárum odore praéterire némo pistrinúm potest;
Eórum si quoiúsquam scropham in público conspéxero,
'Ex ipsis dominís meis pugnis éxculcabo fúrfures.
He. Básilicas edíctiones átque imperiosás habet.
Sátur homo est, habét profecto in véntre confidéntiam.
Er. Túm piscatorés, qui praebent pópulo pisces foétidos,
Qui ádvehuntur quádrupedanti crúcianti cantério;
Quórum odos subbásilicanos ómnis abigit ín forum:
Eís ego ora vérberabo sírpiculis piscáriis,
'Ut sciant, aliéno naso quam éxhibeant moléstiam.
Túm lanii autem, quí concinnant líberis orbás ovis,
Quí locant caedúndos agnos, ét dupla agninám danunt,
Quí petroni nómen indunt vérveci sectário;
'Eum ego si in viá petronem pública conspéxero,
'Et petronem et dóminum reddam mórtalis misérrumos.
He. Eúge! Edictiónes aedilítias hic habét quidem:
Mírumque adeo est, ni húnc fecerunt Aétoli agoránomum.

---

27. *Quí ălūnt furfuri sues.* Vulgo: *furfure.* Sed cf. Voss. de Anal. I, 42. qui *furfuri* in vett. libris esse ait. Nostri Codd. et Bosschae omnes *furfure.* Palmerius voluerat: *furfuri qui alunt sues,* qua transpositione non est opus. De ablativo talium in *i* conf. Schneider. Lat. Gram. Formenl. I, pag. 232. Adde infra *carni* Captiv. IV, 4, 6.

29. *Quoiusquam* scripsi e Cod. Sur.

32. *In ventrem* Codd. Gu. membr. Leid. B. haud male.

35. *Abigit* vel *abegit* Codd. omnes. Priscianus, qui citat hunc versum lib. I, 7. pag. 39. *adigit* exhibet, ubi Codd. inter *adigit* et *adegit* fluctuant. Valde probabile est, scripsisse Plautum *adigit. omnis* dedi e Cod. Sur.

38. *Ovis* scripsi cum Gu. chart.

39. *Duplam* Codd. atque edd. omnes. *Dupla* scribendum est, quod significat *duplo pretio.* Cf. Varro de R. R. II, 10. et Pandect. passim. Bothius *duplo* scripsit, nulla auctoritate. De loci totius sententia cf. Rostius in peculiari scriptione *de locatione conductione,* qui hunc sensum esse ostendit: *Lanii, qui spondent se tibi caesuros agnos suos cento pretio, quum caesos exhibent, duplum pretium postulant.* Nam locare dicitur is quoque, qui cum opera praestanda etiam materiam, in qua elaboret, praebet, soluta ab altero pecunia.

40. *Petro* est ovis mas, aries. *vervex sectarius* est qui sectis testiculis alitur et saginatur. Cf. Cato de R. R. 150. ubi *porci sectarii* eodem sensu dicuntur.

42. *Miserrumos* dedi e Cod. Sur.

43. Vulgo: *Eugepe,* quicum sentiunt Cam. Langg. Voss. B. nisi quod *Eugepae* quidam rectius. Recte tamen *Euge* Codd. Sur. Gu. uterq. quattuor Bosschae, metro evincente. Bothius scripsit *Eugepae,* in fine versus *quidem* omittens. Non male, quum *quidem* in quibusdam Codd. incertam habeat sedem: *quidem habet* et *habet quidem.* Sed vis ironica quaedam inest particulae *quidem,* quapropter vix recte omittatur.

44. Vulgo: *fecere sibi.* Sed recte Cod Cam. teste Scioppio *fecerunt,* omisso *sibi.* Reliqui Codd. vel *fecere sibi* vel *fecerunt sibi.* *Aetoli* ultimam non

Er. Nón ego nunc Parasítus sum, sed régum rex regálior:
Tántus ventri cómmeatus méo adest in portú cibus.
Séd ego cesso hunc Hégionem oneráre laetitiá senem?
Quí homine hominum adaéque nemo vívit fortunátior.
He. Quae íllaec est laetítia, quam illic laétus largitúr mihi?
Er. Heus, héus, ubi estis? écquis hoc aperit óstium?
He. Híc homo ad coenám recipit se ad me. *Er.* 'Aperite hasce ambas fores,
Príusquam pultando ássulatim fóribus exitium áffero.
He. Pérlubet hóminem cólloquí. Ergásile. *Er.* Ergásilum quí vocat?
He. Réspice me. *Er.* Fortúna quod tibi néc facit, nec fáciet, hoc
Mé iubes. Sed quí est? *He.* Respice ád me! Hegio sum. *Er.* 'O mihi,

---

elidit, in arsi positam. De accentu v. *Aetoli* cf. quae diximus ad Captiv. Prol. 23.

45. *Regum rex regalior*. Cf. notata supra ad IV, 1, 7.

48. *Qui homine hominum*. Vulgo: *Qui homine adaeque*. Codd. Sur. Gu. uterq. *qui hominum*, atque ita e Langg. enotavit Sciopp. *Qui homine*, ut vulgo, est in quattuor Bosschae; Leid. A. exhibet *Qui omnium*, sed in margine ab eadem manu: *hominum*. Metrum docet *homine* et *hominum* utramque lectionem esse coniungendam. *Adaeque fortunatior*. Sic saepe Plautus. Sic supra Capt. III, 5, 42. *aeque melius*. Lambinus probabiliter ita explicat, ut statuat, duas easque diversas structuras in unam esse confusas, ut fieri solet, ita ut *adaeque fortunatior* sit: *aeque fortunatus*, et *fortunatior etiam*. Nemo hominum neque fortunatior, neque aeque fortunatus vivit, quam ille. Est ea loquendi quaedam imperitia, sive mavis, negligentia, qua non recte distinguere solent homines familiari sermone inter diversas formulas, veluti si Germanice dicas: *Niemand lebt gleich glücklicher* pro eo quod esset: *gleich glücklich*.

50. Iambicus est senarius, apte reliquae orationi interpositus ad significandam alienam et subitam interrogationem. Vulgo *Heus* semel legitur, atque ita Codd. omnes. Ad versum fulciendum quidam editores interposuerunt *vos*; *heus ubi vos estis*. Sed longe simplicior est medicina, *heus* repetere, quod facile excidere potuit; eaque iam usi sunt Edd. Parmenses. *Ecquis hic is* Langg. id quod in hac formula alibi saepe legitur.

52. Vulgo: *Priusquam pultando vel assulatim*, idque tuentur Codd. Sur. Gu. membr. chart. Cam. Ey. quattuor apud Bosscham. Unus Leid. A. fontem erroris ostendit, ubi *assultatim vel assulatim*. Accidit, id quod saepissime accidere videmus in libris manu exaratis, ut quum glossa esset expellenda correctoribus, eam non plane ac totam propulsarent, quemadmodum contra saepe etiam plura eiiciebantur, quam quae spuria erant. Recte Nonius etiam omittit *vel*, qui hunc versum citat pag. 72. Idem tamen in fine v. *exitium dabo*, quod idem tuetur Cod. Gu. membr.

53. Codd. ut vulgo: *Perlubet hunc h.* Sed pronomen a metro secluditur. Ultima in *colloqui* non coalescit.

54. *Respice me*. Vulgo *me* omittitur, idemque fit in Codd. Sur. Gu. utroque, Bosschae omnibus. In omnibus, quos ipse vidi, Codicibus v. *respice* in fine versus legitur, ita ut facillime syllaba *me* excidere potuerit, quam reposuit Bosscha. Recte. Faciliorem saltem medicinam vix quisquam excogitaverit.

55. Ita hunc versum recte distinxit et distribuit Dousa, atque ita plerique

Quántum est hominum óptume optumórum, in tempore ádvenis!
He. Néscio quem ad pórtum nactu's, úbi coenes; eó fastidis.
Er. Cédo manum. *He.* Manúm? *Er.* Manum, inquam, cédo tuam actutúm. *He.* Tene.
Er. Gaúde. *He.* Quid ego gaúdeam? *Er.* Quia ego ímpero. age gaudé modo.
He. Pól moerores mi ántevortunt gaúdiis. *Er.* Non itást, scies;
Iám ego ex corpore éxigam omnes máculas moerórúm tibi.
Gaúde audacter. *He.* Gaúdeo, etsi níhil scio, quid gaúdeam.
Er. Béne facis; iubé. — *He.* Quid iubeam? *Er.* 'Ignem ingentem fieri.
He. 'Ignem ingentem? *Er.* Ita díco, magnus út sit. *He.* Quid? Me vólturi,
Tuán' causa aedis íncensurum cénses? *Er.* Noli iráscier.
Iúben' an non iubés astitui aúlas; patinas élui?
Láridum atque epulás foveri fóculis in fervéntibus?

Codd. *Qui est* iam Camerar. dedit; Codd. plerique *quis est* vel *quid est*. *O mihi* Cod. Gu. chart.; vulgo: *oh mihi.*

56. Vulgo: *Quantum est hominum optumorum optume,* qui nullus est versus. Metrum ipsum facit indicium, quomodo scribendum sit. *Hominum* ultimam non elidit. Creticum versum et frustulum amplius fecit Bothius vulgato ordine servato.

57. *Eo fastidis.* Quomodo hic subito interponi possit tetrameter acatalectus, non intelligitur. Locus certo mendosus est; nec tamen quicquam iuvant Codices et edd. vett. Gu. chart. ultimam vocem sic interpretatur: s. (scilicet) *nunc enim non vis ire mecum. Fastidire* est superbum esse aliosque contemnere ac despicere. Sic *fastu efferri* legitur apud Cic. in Laelio c. 15. Non tamen satis apta videtur verbi significatio ad hunc locum, quum potius exspectares: *eo laetus es.* Certissimum mihi est, locum esse mendosum.

60. *Non itast, scies.* Ita scripsimus Acidalio obtemperantes. Vulgo: *Noli irascier.* At quaenam quaeso h. l. irascendi caussa? Aut quodnam ex Hegionis verbis iram significat? Accedit, quod paullo infra v. 65. eadem formula recurrit, ubi aptissima, ut ea in hunc locum traducta videatur. Cf. Acidalium Divinatt. in Captiv. Cap. VI, pag. 99. Ingeniosa Acidalii emendatio, quae lectionem praestat huic loco accommodatissimam, apices corruptae lectionis accurate sequitur et facilitate se commendat.

62. *Quid gaudeam* pro vulgato *quod g.* scripsi e Codd. Sur. Leidd. A. B. Voss. B. et Langg.

63. *Fieri* antepenultimam apud Plautum saepe producit. Cf. Herm. ad Eurip. Hecub. pag. 99.

64. Vulgo: *volturie.* Alii *volt urier.* Codd. plerique *volt uri* dirempta voce, i. e. *volturi*, ut scripsimus. Unus Cod. Voss. B. *voluri*, quod eodem ducit. Cf. Trin. I, 2, 64.

65. *Tuan causa aedis.* Ita recte vulgo. Codd. plerique: *Tua causa me aedes*, vel *tua causa ne aedes*, male transposita interrogandi particula. *Aedis* e Bosschae Codd. ascivimus.

66. *Astitui* ultimam non elidit. Cf. Herm. Elem. d. metr. p. 88.

67. Vulgo: *Foculis ferventibus.* Atque ita Codd. omnes cum edd. Labanti versui succurrere volentes alii *foculis* a v. *foculum* i. e. nutrimentum

'Alium pisces praéstinatum abíre? *He.* Hic vígilans sómniat.
Er. 'Alium porcinam átque agninam, et púllos gallináceos?
He. Scís bene esse, sí sit unde. *Er.* Pérnas atque ophthálmiam,
Hóraeum, scombrum, ét trugonem, et cétum, et mollem cáseum.
He. Nóminandi istórum tibi erit mágis quam edundi cópia
Híc apud me, Ergásile. *Er.* Mean' me caúsa hoc censes dícere?
He. Néc nihil hodie, néc multo plus tu híc edes, ne frustrá sies.
Proín tu tui quotídiani vícti ventrem ad me ásferas.
Er. Quín ita faciam, ut túte cupias fácere sumptum, etsi égo vetem.
He. 'Egone? *Er.* Tu nae. *He.* Túm tu mi igitur hérus es. *Er.* Immo béne volens.
Vín' te faciam fórtunatum? *He.* Málim, quam miserúm quidem.
Er. Cédo manum. *He.* En manúm! *Er.* Di te omnes ádiuvant. *He.* Nihil séntio.
Er. Nón enim es in sénticeto, eó non sentis. Séd iube
Vása tibi pura ápparari ad rem divinám cito,

---

deducendum, alii *coculis* scribendum (cf. Festus v. *Cocula*), alii, ut Bosscha, *feruentibus* per diaeresim, ut *laruae*, *soluit*, pro eo quod est *larvae*, *solvit*, pronunciandum censuerunt. Nihil horum aptum videtur. *Foculi ferventes* erant ignitabula ferrea, quae portari poterant, in quibus cibi et coquebantur et recoquebantur. *Ferventes* autem, non *ardentes*, dicuntur, quia carbonibus tantum, non flamma, calefiebant. Igitur praepositio et sententiae et metri caussa interponenda erat.

71. Codd. plerumque *trigonem*; sed Graecis est τρύγων, quapropter usitata Romanis forma restituenda. Vulgo: *trigonum*, cum aliquot Codd.

72. *Nominandi istorum*. Infinitivus loco substantivi habitus, a quo pendet genitivus *istorum*. Sic Terent. Heaut. prol. 29. *Novarum spectandi copiam*. Lucret. V, 1224. *Poenarum solvendi tempus*; ubi cf. Lambin. Adde Ruddimanni Institt. Gr. II, pag. 245. Est enim Gerundium nihil aliud, nisi flexio infinitivi per casus.

74. Vulgo: *ne frustra sis*, addicentibus Codd. omnibus. Non dubium est, quin purus esse debeat iambus in fine. Qua de caussa restituenda erat lectio, quam a Camerario introductam multi secuti Edd. servarunt *frustrá sies*, ita ut *edes* pro duabus brevibus habeatur, vel scribendum *edis*, quod habet Ms. Cam.

75. Versum hunc citat Priscian. VI, 14. hoc ordine: *Proin tui tu*. Codd. Plauti non addicunt.

76. *Ut tute* i. e. ut tu ipse. Codd. plerique *ut te cupias*. Voss. B. *ut recupias*, Leid. B. *te ut cupias*. Unus Leid. A. *ut te tu cupias*, quod recepit Bosscha. Ego potius *tu* a praecedente *ut* absorptum putabam, unde *tute* scribendum existimavi.

77. Vulgo *Tute*, aperte falsum. Codd. omnes *Tu ne*, vel *tune* i. e. *tu nae*, quod scripsi. Tum aliquot Codd. *igitur mihi*, sed Cod. Gu. chart. ut dedi.

79. Vulgo: *hem manum*; *hem* vero non esse monstrantis, significavi ad III, 4, 8. et alibi. Recte *En manum* Gu. chart. Leid. B. Eyst. quod dedimus.

81. *Apparariet* Camerar. et qui eum sunt secuti. Recte *apparari*, ultima non coalescente, Codd. et vett. edd.

Atque agnum afferri propere unum, pinguem. *He.* Cur? *Er.* Ut sácrufices.
He. Quoi deorum? *Er.* Mi hércle. Nam ego nunc tíbi sum summus Iúpiter.
'Idem ego sum salús, fortuna, lúx, laetitia, gaúdium.
Proín tu deum hunc sáturitate fácias tranquillúm tibi.
He. 'Esurire míhi videre. *Er.* Mihí quidem esurio, nón tibi.
He. Tuo árbitratu fácile patior. *Er.* Crédo; consuetús puer.
He. Iúpiter te Díque perdant. *Er.* Te, hércle, mi aequum est grátias
'Ágere ob nunciúm; tantum ego nunc pórto a portu tíbi boni.
Núnc tu mihi placés. *He.* Abí stultus, séro post tempús venis.
Er. 'Igitur olim si ádvenissem, mágis tu tum istuc díceres.
Núnc hanc laetitiam áccipe a me quám fero; nam filium
Tuúm modo in portú Philopolemum vívum, salvum et sóspitem
Vídi in publicá celoce, ibidémque illum adulescéntulum
'Alium una, et tuúm Stalagmum sérvom, qui aufugít domo,
Quí tibi surripuít quadrimum púerum filiolum tuúm.
He. 'Abi in malam rem, lúdis me. *Er.* Ita me amábit sancta Sáturitas,

---

82. Vulgo cum omnibus Codd. atque edd. *proprium unum.* In voc. *proprium* iam Scaliger suspicatus est latere *propere.* Id Bothius amplexus palmaria emendatione persanavit locum, *propere unum* scribi iubens, quod recipiendum fuit. *Unum* omissum vel obscuratum videtur ab iis, qui elegantiae orationis timerent. *Agnus unus pinguis est agnus unus tantum, sed pinguis.* Vide quae Bothius exempla in maiori Ed. collegit. Tum *quor* pro *cur* Cod. Sur.

83. *Quoi* e Cod. Sur. Tum *nunc* omissum in Cod. Sur. quod alii aliter collocant. Unus Voss. B. ut dedimus.

85. Vulgo: *Proinde tu deum huncce.* At Codd. omnes, etiam apud Bosscham, ut videtur, *Proin tu deum hunc;* recte. Ita enim voc. *deum* non elidendum, quod propter sententiae pondus elevari debet

87. Vehementer turbant Codd. Continuantur verba: *Tuo arbitratu f. p.* Ergasilo in Cod. Sur. Tum Hegio respondet *Consuetus puer.* Cui parasitus: *credo.* Voc. *credo* deest in Gu. utroque et Leidd. tribus. Ceterum iidem Codd. eodem modo distinguunt personarum partes. Rectissime vulgata, quam restituit Acidalius in Divv. in Captiv. c. VII, pag. 99.

90. *Nunc tu mihi places.* Ita Codd. et edd. omnes. Acidalius malebat: *Non tu mihi places*, Hegioni orationem continuans. Sed recte explicat vulgatam Gronovius: nunc aliam coenandi conditionem non circumspiciam; nunc nihil vereor, ne hoc loco sit coena aspera.

91. Recte hunc locum intellexit Bothius: magis sero me advenisse diceres, olim si advenissem. Semper enim sero venio, si filius tuus Philopolemus non adest; nunc autem ille redux factus est.

94. *Adulescentulum* scripsi e Cod. Gu. chart.

95. *Servom* praebuit Cod. Sur.

97. *'Abi in malam rem.* Ita recte vulgo scribitur, condicentibus omnibus Codd. et edd. vett. *I in m. r.* primus scripsit Lamb. quem Bosscha, suasore Bentl. ad Terent. Phorm. II, 3, 21., secutus est.

Hégio, itaque suó me semper cóndecoret cognómine,
'Ut ego vidi. *He.* Meúm gnatum? *Er.* Tuúm gnatum, et Geniúm meum.
He. 'Et captivum illum 'Alidensem? *Er.* *Μὰ τὸν Ἀπόλλω.* *He.* Et sérvolum
Meúm Stalagmum, meúm qui gnatum súrripuit? *Er.* *Νὴ τὰν Κόραν.*
He. Iám diu? *Er.* *Νὴ τὰν Πραινέστην.* *He.* Vénit? *Er.* *Νὴ τὰν Σιγνίαν.*
He. Cérton'? *Er.* *Νὴ τὰν Φρουσινῶνα.* *He.* Víde sis. *Er.* *Νὴ τὰν Ἀλάτριον.*
He. Quíd tu per barbáricas urbes iúras? *Er.* Quia enim item ásperae
Súnt, ut tuum victum aútumabas ésse. *He.* Vae aetatí tuae.
Er. Quíppe quando míhi nil credis, quód ego dico sédulo.
Séd Stalagmus quóius erat tunc nátionis, quom hínc abît?
He. Sículus. *Er.* Et nunc Sículus non est! Bóius est; Boiám terit.

---

98. *Me suo semper* Gu. membr. non recte. *Me* est encliticum sententiaeque vis inest in pronomine possessivo.

100. Graeca h. l. in Codd. plerisque Latinis litteris sunt exarata. In seqq. tamen aliquoties apud Bosscham et in Langg. Graecae litterae comparent. *Matonapollo* Sur. Gu. uterq. Cam. aliique. Eadem formula iuratur in Mostellaria IV, 2, 56. *Servolum* dedi e Gu. chart.

101. *Ne tam coram* Codd. Sur. Gu. uterq. *ne tam coran* Cam. *κόραν* Langg.

102. *Ne tam preneste* Codd. Sur. Gu. membr. *ne tam prenestem* Cam. *ne tam prenesten* Gu. chart. Tum *ne tam sigeam.* Codd. Sur. Eyst. Leid. A. *signeam* Gu. uterq. Cam.

103. *Nc tam frusinonem* Cod. Sur. *ne tam frusinonem* Gu. membr. *ne tan fursionem* Gu. chart. *ne tam frusionem* Cod. Cam. Tum vulgo *Νὴ τὸ Ἀλάτριον.* Sed *ne tam aliterium* Cod. Sur. *ne tam alatrium* Gu. membr. Gu. chart. Leid. A. *ne ton alatricum* Cam. *ne tam alatrion* Langg. *ne tam alatrinam* Voss. A. *νὴ τὴν aliterium.* Leid. B. Ex his omnibus lectio Langg. proxime accedit ad veritatem. De *barbaricis urbibus* cf. Rostius in dissert. *de lege barbarica.*

104. Codd. Sur. Gu. uterq. *ita asp.* Sed recte reliqui Codd. et edd. vett. *item asp.* Discrimen manifestum. *Item* est eodem modo, *ita*, hoc modo vel eo modo. *Quia enim* est weil nämlich. Cf. quae de hoc loco dixi in maiori Ed.

107. *Quoius* dedi e Cod. Sur. *abit* perfectum est syncopatum pro *abiit. Abiit* Codd. Sur. Gu. uterq. ut vulgo. *quom* item Cod. Sur.

108. Mire turbant Codices. Et Sur. quidem: *egi. quoius et nunc. para. si quoius nunc est, bolus boiam terit.* Gu. membr.: *cuius est nunc. Si cuius nunc est, boius est boiam terit.* Quibus lectionibus Codd. ad unum omnes accedunt, nisi quod plerique *cuius et nunc;* aliquot etiam *bolus bolam.* Unus Voss. A. vitii originem et veram lectionem monstrat: *Sicinus et nunc Sicinus non est, bolus est boiam t.* Quomodo Bosschae placere potuerit corrupta lectio: *Quoius et nunc* cet. non assequor. *Et* retinendum, quod libri omnes tuentur. Vulgo: *Siculus. Er. At nunc Siculus n. e.,* quae lectio iam est apud Cam. Ambiguitas inest in verbis *Boius est; boiam terit. Boia* enim collare est, quo vinciri solebant servi fugitivi.

Líberorum quaérundorum caúsa ei, credo, uxór data est.
He. Díc, bonan' fidé tu mi istaec vérba dixistí? *Er*. Bona.
He. Di ímmortales, íterum gnatus vídeor, si vera aútumas.
Er. Aín? Tu dubium habébis etiam, súncte quom iurém tibi?
Póstremo, Hegió, si parva iúri iurando ést fides,
Víse ad portum. *He*. Fácere certum est; tu íntus cura quód opus est.
Súme, posce, próme quidvis; té facio cellárium.
Er. Nam, hércle, tu, ni mánticinatus próbe ero, fusti péctito.
He. Aéternum tibi dápinabo víctum, si vera aútumas.
Er. 'Unde id? *He*. A me meóque gnato. *Er*. Spóndes' tu istud? *He*. Spóndeo.
Er. 'At ego, tuum tibi ádvenisse fílium, respóndeo.
He. Cúra quam optumé potes. *Er*. Bene ámbula et redámbula.

Actus IV. Scena III.

Ergasilus.

'Illic hinc abiit; mihi rem summam crédidit cibáriam.
Di ímmortales, iam út ego collos praétruncabo tégoribus!

---

109. *Quaerundorum* e Cod. Gu. chart.

112. Vulgo: *An tu dubium habebis*. Exspectares potius: *Num tu d. h.* Neque locum habet *an*, ut notum est, nisi in interrogatione disiunctiva, ubi altera enunciati pars ab *an* incipi solet. Codd. omnes *Ain tu d. h.* quod tamen non satis accommodatum sententiae esse videtur. Scripserim: *Ai, num dubium habebis*, h. e. *dic mihi*, *num dubitabis etiam* cet. Interim tamen tutius videtur, Codd. sequi. Propterea scripsi: *Ain? Tu dubium habebis etiam, sancte* cet. In qua tamen scriptura nemo non videt, quantum langueat *tu*.

114. Vulgo: *tum intus c.* Codd. et vett. edd. omnes: *tu i. c.*

116. Vulgo: *Nam hercle nisi*, quod quum metro adversetur, scripsere *hercule*, contra Codd. fidem. Nec dici potest *hercule*, nisi in vera Dei invocatione. Emendandi viam monstrat Gu. membr. qui exhibet: *Nam hercle tu si*. Ergo scripsi: *Nam hercle tu ni*. Tum in v. *manticinatus* turbant Codd. et edd. vett. Verum tuentur Codd. Sur. Gu. membr. Eyst. quattuor apud Bosscham. Reliqui fluctuant inter *mantinatus*, *mantiscinatus*, *mantissinatus*. Vulgo: *mantiscinatus* *Manticinari* a Graeco μάντις iocullariter confictum, ut *vaticinari*. Propter soni similitudinem cum verbis *manducare*, *panticinari* potest etiam significare *ventrem implere*, ex qua ambiguitate risum captat parasitus. Tum *fusti* pro *fuste* antique. Cf. Schneid. Lat. Gramm. Formenl. I, p. 229. *Sermoni* Mil. Gl. II, 2, 109. et infra IV, 4, 6. *carni*. — Codd. *hero fusti petito*, *hero fuisti petito*. Verum tuentur Voss. A. et Langg. *Fusti pectere* familiaris Plauto locutio. Rud. III, 2, 47. Poenul. I, 2, 145. — Ceterum *nam*, ut Graecor. γάρ, saepe poni, ubi enunciatum omittatur, ad quod coniunctio referatur, in vulgus notum.

117. Codd. *damnabo, dampnabo*. Veram lectionem *dapinabo* Codd. Gu. uterq. Langg. tenent. Edd. aliquot vett. *dapinato*, quod probatum a multis propter sqq. falso. Non enim dicit Hegio: *victum tibi praebebo*, saltem tantam largitatem non audet intelligere parasitus; sed hoc et dicit Hegio et intelligit parasitus: *aeternum tibi victum comparabo*, quare subiicit parasitus: *unde id promittis?* Pro v. *victum* ed. Cam. *cibum*.

120. *Bene ambula et red.* Cf. Captiv. II, 3, 92.

2. *Tegoribus*. Sic restituit Turnebus et in uno Parisiensium Codd. in-

Quánta pernis péstis veniet! quánta labes lárido!
Quánta súmini ábsumedo! quánta callo cálamitas!
Quánta laniis lássitudo! quánta porcináriis!
Nám si alia admemorém, quae ventris víctu conducúnt, mora est.
Núnc ibo in meam praéfecturam, út ius dicam lárido;
Et quae pendent índemnatae, pérnis auxilium út feram.

Actus IV. Scena IV.

Puer Hegionis.

Diéspiter te Díque, Ergasile, pérdant et ventrém tuum,
Parasítosque omnis, ét qui posthac coénam Parasitís dabit.
Cladés calamitasque, íntemperies módo in nostram advenít domum.
Quasi sí sit lupus esúriens, metui ne ín me faceret ímpetum.
Nimisque, hércle, ego illum mále formidabam; íta frendebat déntibus.
Advéniens deturbávit totum cúm carni carnárium.
Arrípuit gladium, praétruncavit tríbus tegoribus glándia.

---

venit Lamb. Vulgo *tergoribus*, quod in versum peccat. Reliqui Codd. *tergoribus*, unus apud Bossch. *tragoribus*, quae eadem lectionis diversitas recurrit infra IV, 4, 7. Voc. *tegus* Turnebus Adv. XXII, 6. ex Varrone, Bosscha e Glossariis vindicant. Cf. quae ad h. l. notavi in maiori Ed.

4. Fluctuant Codd. inter *assumendo*, *absumendo*, *asumendo*. Originem erroris monstrat Gu. chart. qui *absumo*. Veram lectionem duo apud Bossch. tuentur.

6. Vulgo: *Nam si alia memorem*, in qua lectione multi Codd. consentiunt. *Nam si alia admemorem* Codd. Sur. Voss. A. recte. Tum vulgo: *quae ad v. victum c.* Male *ad* repetitum ex prioribus. Recte Langg. *quae ventris victu*. Est antiquus dativus.

7. Vulgo: *Nunc ibo ad praef.* Codd. Sur. Voss. A. B. Leidd. B. C. *Nunc ibo ut pr.* Unus Leid. A. quid exhibeat, non diserte commemorat Bossch. *Meam* unus exhibet Cod. Cam. qui: *Nunc ibo ut meam pr.* Tum vulgo: *et ius dicam*, atque ita Codd. Sur. Gu. uterque. *Ut i. dicam* et poscit sententia et videntur exhibere Codd. apud Bosscham. De *praefecturis* cf. quae notavi in maiori Ed. ad h. l.

8. Vulgo: *pernae eis.* Codd. omnino omnes praestant: *pernis*, (nisi quod Gu. chart. *pernix*) omisso *eis*. Recte. Vulgatam primus Camerarius videtur introduxisse.

2. *Omnis* e Cod. Sur.

3. *Mŏdo ĭn nostram*, ut saepe, neglecta positione.

4. Vulgata cum omnibus Codd. tenet: *Quasi lupus esuriens*, *metui ne in me faceret impetum;* quae a metro et sententia laborant. Propterea alii: *ne ille in me quoque;* alii, ut Bothius, *modo* ex sup. versu huc traduxerunt: *Modo. Quasi lupus* cet.; alii, ut Bosscha, *ne in me quoque*, qui antepen. in v. *esuriens* produci posse credidit. Medicina propior. Scribendum *Quasi si sit lupus es. m. ne in me fac. i.* Ultima in *quasi* reliqua similia absorpsit. Praesens tempus ita est explicandum, quasi dixisset: *Est quasi lupus esuriens; ita metui, ne* cet.

6. Vulgo, ut Codd. omnibus *carne*. Versus efflagitat ultimam longam. Cf. quae supra diximus ad IV, 2, 116. et alibi.

Aulás calicesque omnís confregit, nísi quae modialés erant,
Cocúm percontabátur, possent sériae fervéscere.
Cellás refregit ómnis intus, réclusitque armárium.
Assérvate istum, súltis, servi; égo ibo ut conveniám senem.
Dicam út sibi penum áliud ornet, síquidem sese utí volet.
Năm hóc, hic quidem ut adórnat, aut iam níhil est, aut iam níhil erit.

Actus V. Scena I.

Hegio, Philopolemus, Philocrates, Stalagmus mutus.

He. Iovi Disque agó gratiás merito mágnas,
Quom té redducém tuo patrí reddidérunt,
Quomque é miseriís plurimís me exemérunt,
Quas, dúm te caréndum hic fuít, sustentábam,
Quomque húncce conspício in potéstate nóstra,

---

8. *Omnis* e Cod. Sur. *omnia* Eyst.

9. Vulgo *possentne;* atque ita Codd. omn. et edd. vett. Qua scriptura quum versus pessumdetur, scripserunt *percontabat*, forma activi. Sed male cadunt ictus, et Codd. et edd. omnes tuentur *percontabatur*. Quare cum Bosscha scripsi *possent*, ut interrogandi particula omittatur. Tum plerique Codd. *seri refervescere;* unus Voss. A. recte.

10. *Omnis* e Cod. Sur.

11. Vulgo: *istunc*. Codd. Sur. Gu. uterq. *istum*, quod dedi.

12. *Penum alium* Sur. Voss. B. Sed Codd. Gu. uterq. et quattuor apud Bossch. inter quos optimus ille Voss. A., ut vulgo, quod verum. *Sese uti volet.* Accusativus subiecti, qui pendet a v. *volet*, quasi dixisset: *volet ut ipse utatur*. Hunc versum citat Prisc. V, 8. sed memoriter.

13. *Nam hic quidem ut adornat* vulgo, versu manco. Atque ita Codd. omnes. Primus Gryphius versui ut succurreret, dedit: *Num in hoc ut hic q.* Puto simpliciorem paratam esse medicinam: *Năm hóc, hic quidem ut ad.* Uno eodemque compendio scribuntur *hoc* et *hic*, nisi quod *h* si *hoc* significat, punctum suprapositum habet, si *hic*, apostrophi nota additur.

2. *Quom* e Cod. Sur. Tum Codd. plerique *reducem;* aut scribendum aut pronunciandum *redducem*. Versus sunt bacchiaci.

3. *Quomque* Sur. *E miseriis* Sur. Gu. chart. Vulgo: *ex mis. Cumque me e mis.* postmodo om. *me* Cod. Gu. membr. *Quomque et mis.* Ed. Princ.

4. *Quas dum* cet. Sic dedi de Acidalii emendatione. Vulgo: *Quae adhuc te carens, dum hic fui, sustentabam;* in qua lectione *quae* Lambinus ad totam orationem referendum dixit, quod non intelligo. Codd. cum vulgata faciunt, nisi quod Sur. *quas* exhibet, sed in loco raso, ut aliud quid scriptum fuisse videatur. *Quae* plane ferri nequit, ut vel hoc voc. loci corruptionem satis prodat. Accedit, quod sive coniungas *carens fui*, sive cum vulgata interpungas, non Latina erit oratio; et plane frigida ac supervacanea sunt *dum hic fui.* Mihi error ex eo ortus esse videtur, quod in archetypo ex negligentia librarii pro QUASDUM scriptum esset QUASADUM, male repetita vocali A. Quod quum semel esset mutatum in *Quae adhuc*, consequens erat, ut reliqua mutarentur. Fortasse etiam *Quae* sigla scriptum erat, unde Leid. A. *Qui adhuc* exhibet.

5. Vulgo *hunc*. Recte Bosscha dedit *huncce*. Libri omnes cum vulgata

Quómque huius repérta est fidés firma nóbis.
Philop. Sátis iam dolui ex ánimo et cura mé sat et lacrumis máceravi.
Sátis iam audivi tuás aerumnas, ápud portum mihi quás memorasti.
Hóc agamus! *Philocr.* Quíd nunc, quoniam técum servaví fidem,
Tíbique hunc reducem in libertatem féci? *He.* Fecisti, út tibi,
Philocrates, numquám referre grátiam possím satis,
Proínde ut tu proméritus de me et filio. *Philop.* Immó potes,
Páter, et poteris, ét ego potero; Dí eam potestatém dabunt,
'Ut beneficium bénemerenti nóstro meríto múneres,
Sícut tu huic potés, pater mi, fácere merito máxumo.

---

faciunt. Bothius in priori ed. dederat *hunc hic*. Coniiciat aliquis: *hunc nunc*, sed otiosum esset *nunc*.

6. Vulgo: *haec reperta*, atque ita Cod. Gu. membr. *Comque reperta est haec* Cod. Gu. chart. *Quomque haec rep.* Cod. Sur. *haec* etiam apud Bosch. omnes, nisi quod Leid. B. *reperta est haec*. Bosscha dedit *huius rep.* In idem inciderat Both. in ed. pr. Difficile est, certi quid definire, quum error haud dubie ex ignoratione compendii natus sit. Leniorem tamen medicinam non video.

7. Locus est vexatissimus. Codex Sur., qui versus ab initio huius Scenae Philocrati tribuit, inde a vv. *Satis iam dolui* Hegionis personam interponit; inde a vv. *Satis iam audivi tuas* Philopolemum inducit, et ante vv. *Quid nunc* Philocratem signat. Eodem modo partes distribuit Cod. Gu. membr. Sed Gu. chart. duos priores Scenae versus assignat Philopolemo, et quae sequuntur omnia usque ad vv. *maceravi hoc* Hegioni, unde quae seqq. Philocrates accipit. Iidem Codd. omnes exhibent *maceravi hoc. Satis iam.* Eodem modo turbant Codd. apud Bosscham et apud Avell. nisi quod *hoc* plane abest a Leid. A. apud Avellinium autem pro eo *hic* vel *heic* quidam habent. Verba autem: *Satis iam dolui — Hoc agamus* omnia tribuuntur Philopolemo in Codd. Palatt., ambobus Regiis, ad quos aliquot accedunt vett. edd., in quibus Parmensis. *Hoc* ignorat etiam Pareus. Vera mihi visa haec ratio, praesertim quum verba *Satis iam dolui — memorasti* duos trochaicos tetrametros acatalectos conficiant. *Sat et lacr.* sic Douza et Pareus. Vulgata cum Codd. *Satis et l.* Tum *apud portum* Cod. Sur. et Leidd. tres, quod recepi; vulgo *ad portum*. Tum *mihi* deest in Sur. Gu. membr. et duobus Leidd. male. Gronovius coniecit *oh*, Hegioni omnia continuans, usque ad vv. *Hoc agamus*.

9. *Tecum servavi fidem.* Sic Curcul. I, 2, 49. *Si fidem servas mecum.* In hac et similibus formulis *cum* significat ἐν, παρά, quemadmodum in usitata illa formula *tecum fui*, pro *apud te fui*. Igitur Rud. V, 1, 60. *Tecum habeto*, pro eo quod dici solet *tibi habeto*. Simili modo explicanda est formula *oro tecum*. Bacchid. III, 3, 90. *tecum orarem*. Cf. quae ad hunc locum notavi in maiori Ed. Sic plane nostrates: Er hat bei mir gebeten. Er hat bei ienem gefragt. Er hat bei mir sein Wort gehalten.

13. Male scripsit Bosscha: *et Di potestatem dabunt*. Omnes enim Codd. et vett. Edd. cum vulgata: *Di eam potestatem d.* omisso *et*. Ignorabat Bosscha, *potestatem* duas priores posse corripere. Pronunciandum est *Dĭ ĕăm pŏtĕstātēm dabunt*.

14. *Bene merenti nostro* coniungenda videntur, ut significent *nostro benefactori*. Tum *merito* est *ut meritus est*, nach Verdienst.

15. *Maxume* Cod. Sur. et vulgo. Reliqui similiter, nisi quod aliquot *maxime*. Scripsi *maxumo*. *Merito maxumo* est optimo iure.

He. Quíd opus verbis? Língua nulla est, quá negem, quícquíd roges.
Philocr. Póstulo abs te, ut mi íllum reddas sérvom, quem hic relíqueram
Pígnus pro me, quí mihi melior, quám sibi, sempér fuit;
Pró benefactis éius uti ei prétium possim réddere.
He. Quód benefecistí, referetur grátia, id quod póstulas,
'Et id, et aliud, quód me orabis, ímpetrabis. 'Atque te
Nólim succensére, quod ego irátus ei fecí male.
Philocr. Quíd fecisti? *He.* In lápicidinas cómpeditum cóndidi,
'Ubi rescivi míhi data esse vérba. *Philocr.* Vae miseró mihi!
Própter meum capút labores hómini evenisse óptumo.
He. 'At ob eam rem míhi libellam pró eo argenti né duis.
Grátiis a me, út sit liber, dúcito. *Philocr.* Edepol, Hégio.
Fácis benigne; séd quaeso, hominem ut iúbeas arcessí. *He.* Licet.
'Ubi vos estis? 'Ite actutum, Týndarum huc arcéssite.
Vós ite intro; intéribi ego ex hac státua verbereá volo
'Erogitare, meó minore quíd sit factum fílio.
Vós lavate intéribi. *Philep.* Sequere hac, Phílocrates, me intró.
Philocr. Sequor.

Actus V. Scena II.

Hegio, Stalagmus.

He. 'Age tu illuc procéde, bone vir, lépidum mancipiúm meum.

---

16. *Quid opus v.* Cod. Sur. cum plerisque aliis. Vulgo: *quid opust v.*
17. *Servom* scripsi e Sur. ubi *servon.*
19. Sic recte vulgata. *Uti pretium* om. *ei* Codd. Sur. Gu. membr. chart. tres Leidd. apud Bossch. Sed exhibent duo Voss. apud Eundem.
20. *Referetur* scripsi cum vulgata. Codd. Sur. Gu. uterq. tres Leidd. et Voss. B. *refertur.* Unus Voss. A. futurum tuetur, cui accedunt edd. inde a Camerario. Edd. Pr. Parm. *refertur.* Vv. *id quod postulas* per appositionem vel epexegesim quandam ad superiora sunt explicanda. Male ad seqq. traxit Both.
21. *Et id et illud* Gu. membr. *Quo me orabis* Cod. Sur.
27. *Gratis* vulgata cum Codd. Sur. Gu. utroq. Bosschae omnibus. Nunquam apud Scenicos aliter, nisi *gratiis*, tribus syllabis, dicendum esse ostendit Bentl. ad Terent. Adelph. IV, 1, 26. Cf. supra Captiv. II, 3, 48. Tum *ut sit liber adducito* Cod. Sur. et Gu. chart. *ut si liber aducito* Gu. membr. Simili modo variant libri apud Bossch. nisi quod Leid. C. *ab me.* Versus postulat *ducito*, quod dedi. Vulgo: *abducito.*
28. *Ut* desideratur in Gu. membr.
29. Male vulgo atque in Codd. Sur. Gu. utroq. omnibus apud Bosscham: *Ubi estis vos*, quod plane ferri nequit. Immutavit iam Bosscha.
30. Codd. Sur. Gu. uterq. plurimi apud Bosscham et apud Avell. *vervecea*, quod ortum ex prava scriptura, usitata tamen: *ververea*, quod ipsum quinque exhibent Codd. apud Avellin. Alii *vervetia.* Etiam Lang. unus *ververe auolo*, teste Scioppio. Verum recepisse videtur primus Camerar. Cf. Sciopp. de Arte Cr. p. 58. Edd. Parm. ad h. l. *Sunt qui verberea scribant pro vervecea, i. e. verberibus digna.*

St. Quíd me oportet fácere, ubi tu tális vir falsum aútumas?
Fuí ego bellus, lépidus, bonus vir númquam, neque frugí bonae,
Néque ero umquam; nae tú spem ponas mé bonae frugí fore.
He. Própemodum ubi locí fortunae tuaé sint, facile intéllegis.
Si éris verax, tuám rem facies éx mala meliúsculam.
Récte et vera lóquere; sed neque vére tu neque récte adhuc
Fécisti umquam. *St.* Quód ego fatear, crédin', pudeat, quom aútumes?
He. 'At ego faciam ut púdeat; nam in rubórem te totúm dabo.
St. Eía, credo ego, ímperito plágas minitarís mihi!
Tándem ista aufer. Díce quid fers, út feras hinc quód petis.
He. Sátis facundus. Séd iam fieri díctis compendiúm volo.
St. Quídvis fiat. *He.* Béne morigerus fuít puer; nunc nón decet.
Hóc agamus. Iam ánimum advorte, ac míhi, quae dicam, edíscere.
Si éris verax, tuís ex rebus féceris meliúsculas.
St. Núgae istaec sunt. Nón me censes scíre quid dignús siem?

---

6. Vulgo: *Tua ex re facies, ex mala m.* Cum vulgata faciunt Cod. Sur. omnes apud Bosch. *Tua ex re facies mala m.* Gu. chart. *Tua ex re mala facies mel.* Cod. Gu. membr. Ceteri nihil iuvant. Editio Gryph. teste Bosscha: *rem tuam facies ex m. m.*, unde recepit *tuam rem fac. ex m. m.* Bothius totum versum eliminandum censuit, quem salvo sensu commode abesse non posse, recte vidit Bosscha. Vitium inde ortum, quod quum librarii invenissent *tua re*, neglectis lineolis supra ductis, id pro ablativo haberent, et ut mitigarent dictionis insolentiam, praep. *ex* adderent.

7. Vulgo: *Recta et vera l.* Sed Cod. Gu. membr. et omnes apud Bosscham, nec minus [illegible]. edd. usque ad Camerar. *Recte et vera l.* quod cum Bosscha dedimus. Terent. Adelph. IV, 8. extr. *Recte et verum dicis.* *Recte loqui* est aperte, sincere, ut decet, loqui. Tum *tu* deest in Codd. et edd. vett. praeter Parm., ubi est: *Sed neque tu vere neque r. a.*, ex qua in Iunt. et Ald. transiit.

8. *Quid ego fatear* Cod. Sur. Ed. Pr. Recte reliqui *quod.* *Quom autumes* Cod. Sur. *Cum autumas* Gu. membr. et Voss. B. in quo tamen etiam *fateor.* Ceteri omnes tuentur coniunctivum. Recte.

10. *Ego* vulgo deest. Addunt Codd. omnes.

11. Vulgo: *Dicque quid fers.* Sed Codd. omnes: *dic quid fers*, in quo latere *dice*, antiquam formam, recte vidit Bothius.

12. *Compendium* ultimas duas per synizesim effert. Sine caussa Bothius scribendum, ut alibi invenitur, censebat: *Fieri dicta compendi volo.*

13. Bosscha e duobus suis Codd. Leidd. dedit *Quidvis fiat*, quod secutus sum. Reliqui omnes Sur. Gu. uterq. Voss. A. B. Leid. C. *Ut vis fiat.* Scribendum tamen fuit: *Quid vis*, dirempta voce. Ortum vitium ex antiqua scribendi ratione, quae saepe in Codd. invenitur *Quit*, quod mutare in *ut* pronum fuit, quum fortasse prima littera Q omissa fuisset, id quod saepe accidit in Codd.

14. Cod. Sur. *h e c mihi quae.* Gu. chart. *h a e c mihi quae.* Ita etiam tres apud Bosscham. *h o c mihi quae* Leid. A.

15. Vulgo: *tuis rebus.* Atque ita Codd. omnes, nisi quod Gu. membr. *rebus tuis.* Unus Voss. B. *tuis ex rebus.* Edd. inde a Camerario: *e tuis rebus.* Nos Bosscham secuti *tuis ex rebus* cum Voss. B. scripsimus.

16. *Num me censes* Cod. Sur. Leid. C. Tum *qui dignus* Gu. membr.

He. At ea subterfugere potis es paúca, si non ómnia.
St. Paúca effugiam, sció; nam multa evénient, et meritó meo;
Quía et fugi, et tibí surripui filium, et eum véndidi.
He. Quoí homini? *St.* Theodóromedi in Alide Polyplúsio
Séx minis. *He.* Pro Di ímmortales! ís quidem huius ést pater
Phílocratis. *St.* Quin mélius novi, quám te, et vidi saépius.
He. Sérva, Iuppitér supreme, et mé et meum gnatúm mihi.
Phílocrates, per tuúm te Genium óbsecro, exi; té volo.

Actus V. Scena III.

Philocrates, Hegio, Stalagmus.

Philocr. Hégio, assum; sí quid me vis, ímpera. *He.* Hic gnatúm meum
Tuó patri ait se véndidisse séx minis in Alide.
Ph. Quám diu id factum ést? *St.* Hic annus íncipit vicésimus.
Ph. Fálsa memorat. *St.* Aút ego, aut tu. Nón tibi quadrímulum
Tuís pater pecúliarem párvulo pueró dedit?
Ph. Quíd erat ei nomén? si vera dícis, memora dúm mihi.
St. Paégnium vocitátu'st; post vos índidistis Týndaro.
Ph. Cúr ego te non nóvi? *St.* Quia mos ést oblivisci hóminibus,
Néque novisse, quóius nihili sít faciunda grátia.
Ph. Díc mihi, ísne istíc fuit, quem véndidisti meó patri,
Quí mihi pecúliaris dátus est. *St.* Huius fílius.

Leid. C. *quod dignum siet* Leid. B. Sed cf. Bentl. ad Terent. Andr. V, 4, 37. Adde Pompei. XIV, 4, pag. 174.

18. *Pauca efficiam.* Male sic legitur in Gu. utroque et tribus apud Bossch. in quibus iisdem hic versus post v. 20. legitur, id quod testimonio esse potest, quam saepe male traiecti legantur versus in Codd.

20. *Quoi* dedi e Cod. Sur.

24. Vulgo: *Per tuum te ingenium.* Codd.: *Per tuum Genium*, nisi quod Voss. A. et Leid. B. *Per tuum ingenium* exhibent. Merito suspicatur Bosscha, *te* male tractum ad seq. voc. peperisse pravam lectionem *ingenium.* Etiam Ed. Pr. *per tuum ingenium.* Ceterum cf. Bentl. ad Terent. Andr. I, 5, 54. De ultima non elisa in v. *Genium* cf. Herm. Elem. doctr. metr. pag. 88.

4. Vulgo: *Nam tibi quadr.* E Cod. Gu. chart. recepi *Non tibi q.* posito in fine enunciati interrogandi signo; quae ratio loco accommodatior videtur.

5. *Parvulo* dedimus ex Cod. optimo Reg. I. apud Avell.

6. *Quid — nomen.* Ita vulgo cum aliquot Codd. Sed Sur. et omnes apud Bosscham exhibent *Quod*, contra constantem Plauti consuetudinem. Cf. Mostell. III, 1, 132. Menaechm. III, 2, 33. Pers. IV, 4, 71. et alibi saepe.

8. *Quor* Cod. Sur. ut saepe iam notavimus.

9. *Quoius* dedi e Cod. Sur.

11. Verba *huius filius* continuantur vulgo Philocrati; atque ita etiam Codd. Gu. uterq. et omnes apud Bosscham. *Istic* quod interposuit Brun-

He. Vívitne is homo? *St.* Argéntum accepi, nil curavi céterum.
He. Quíd tu ais? *Ph.* Quin ístic ipsu'st Týndarus tuus filius,
'Ut quidem hic arguménta loquitur. Nam ís mecum a pueró puer
Béne pudiceque éducatu'st úsque ad adulescéntiam.
He. 'Et miser sum et fórtunatus, sí vos vera dícitis.
Eó miser sum, quía male illi féci, si gnatús meu'st.
'Eheu, cur ego plús minusque féci, illi quam aequúm fuit!
Quód male feci, crúcior; modo si inféctum fieri póssiet.
Séd eccum; incedit húc ornatus haúd ex suis virtútibus.

Actus V. Scena IV.

Tyndarus, Hegio, Philocrates, Stalagmus.

Tyn. Vídi ego multa saépe picta, quae 'Acherunti fierent
Crúciamenta; vérum enimvero núlla adaeque est 'Acheruns,

---

ckio praeeunte Bosscha, ignoratur a Codd. recte, metro evincente. Stalagmo autem tribuenda esse vv. *huius filius* et res ipsa docet, et Brunckius vidit.

16. *Si vera dictitetis* Sur. *Si vera dictetis* Gu. membr. *Si ua dictite is* Gu. chart. Etiam Bosschani fluctuant inter *dictetis, dictites, diceres*, omisso pronomine. Unus Voss. A. *si vera dicetis*. Voc. *vera* per compendium scriptum absorpsit pronomen. Ed. Pr. *Si vera dictes*. Parm. *si vera dicitis*. Primus pronomen addidisse videtur Camerar.

18. Versus 17. et 18. in Cod. Gu. chart. in unum conflati sic leguntur: *Ego miser, quia male illi feci, quod equum fuit*. Sed superiori orae ascriptum a rec. manu:

Ego miser sum quia malum illi feci, si gnatus meus est
Heu cur ego plus quam nimis feci quam equum fuit.

Vitii origo fuit, quod librarius aberraret a sup. voc. *feci* ad idem infra positum. *Si gnatus est meus* Gu. membr. Tum *illi* in v. 18. vulgo deest, sed tuentur Codd. *Eheu* tenet Sur. cum aliquot apud Bossch. ceteri *Neu* et *Heu*. Tum Codd. Sur. Gu. membr. Bosschae omnes *quom* (vel *cum*) *ego plus*, quod ortum ex scriptura *quor*. Camerar. dedit *qur* (sic). Tum *plus minusque* Codd. omnino omnes et edd. usque ad Brunckium, *qui plus minus v e*, quod recepit Bothius, non aliter loqui dicens Latinos. Idem dixerat Gronov. ad Menaechm. IV, 2, 25. Recte hos confutavit Bosscha. Non enim dubitat Hegio, utrum plus an minus fecerit Tyndaro, sed hoc ait, se utrumque, et plus et minus, fecisse, recteque explicat Lambinus: *plus mali minus boni*.

20. *Audax suis viribus* Sur. Gu. chart. Leidd. tres et Voss. B. *Audax viribus suis* Gu. membr. *ornatur audax suis virtutibus* Voss. A. atque ita edd. ante Muretum omnes, nisi quod *ornatus*. Verum exhibent Vaticanus unus et Ambros. primus apud Avell. Cf. Acidalius ad Captiv. c. VII.

1. 2. *Acherunti* et *Acheruns* antiquam formam tuentur in priori versu omnes apud Bosscham, in altero unus Voss. A. Reliqui *Acheronti* et *Acherons*. Priscianus I, 6, 35. Kr. testatur, *Acheruns* dictum esse, ut *humines, frundes, funtes*. *Acherunti* casus est locativus, ut *Carthagini, ruri*. Cf. Pompei. Gramm. XXVIII, 13, pag. 353 sq. et quos ibi citatos reperies.

'Atque ubi ego fui in lápicidinis. 'Illic ibi demúm'st locus,
'Ubi labore lássitudo est éxigunda ex córpore.
Nam úbi illo advéni, quási patriciis púeris aut monédulae,
Aút anates, aut cóturnices dántur, quicum lúsitent;
'Itidem mi haec advénienti upupa, quí me delectém, data est.
Séd herus eccum ante óstium, et herus álter eccum ex 'Alide
Rédiit. *He.* Salve, éxoptate gnáte mi. *Tyn.* Hem! Quid, gnáte mi?
'Attat, scio cur té patrem assimulés esse et me filium,
Quía mi, item ut paréntes, lucis dás tuendae cópiam.
Ph. Sálve Tyndare. *Tyn.* 'Et tu, quoius caúsa hanc aerumnam éxigo.
Ph. 'At nunc liber ín divitias fáxo venies. Nám tibi
Páter hic est; hic sérvos, qui te huic hínc quadrimum súrpuit,
Véndidit patrí meo te séx minis. Is té mihi
Párvolum pecúliarem párvolo pueró dedit.
'Illic indicium fécit; nam hunc ex 'Alide huc redúcimus.
Tyn. Quíd, huius filium? *Ph.* 'Intus eccum frátrem germanúm tuum.
Tyn. Quíd tu ais? addúxtin' illum huiús captivum filium?

Adde Servii Gramm. pag. 520. Versum secundum citat Nonius, pag. 191. ut *Acherunt* etiam feminee genere dici probetur. Sed cf. Voss. de Anal. I, 10. *Quando in muliebri usurpatur, non fluvius intelligitur, sed locus, qui quasi regio habetur. Unde apud Plautum dicitur Acheronte vel Acheronti aliquid fieri, i. e. apud inferos.*

4. Vulgo: *lassitudo omnist ex.* Codd. Sur. Gu. chart. omnes apud Boscham: *est omnis ex.* Gu. membr.: *omnis est ex.* Omnes etiam Avellinii Codd. v. *omnis* retinent. At frigidum est, et ad sensum plus quam supervacaneum. Nihil enim aliud vult Tyndarus, nisi hoc: quod alibi quiescendo fiat, ut lassitudo exigatur, id ibi labore fieri. Fortasse in archetypo scriptum erat *Lassitudōst exigunda*, quod librarii male explicantes *lassitudo omnist* fecere, quum saepe alibi *ōst* siglum *omnist* significare invenissent.

5. *Illo veni* Gu. membr. De more Romanorum, quo pueris et puellis beatiores darent animalcula inter res ludicras, adi Plinium Ep. IV, 2. ibique interpp.

6. *Coturnices* primam producit contra morem seriorum poetarum, qui corripiunt. Cf. Lucret. IV, 643. In voce *quicum qui* est ablativus sing., relatus ad pluralem numerum, ita ut videatur *qui*, quemadmodum *se* et *sibi* etiam pro plurali ablat. fuisse. Cf. Plauti Aulul. III, 5, 28. *Vehicula, qui vehar.* Cato de R. R. XI, 2. *Cola, qui florem demant.*

7. Vulgo: *haec mihi.* Sed Codd. omnes *mihi haec* vel *mihi hoc* vel *mi huc.* Deinde *qui me delectet* vulgata cum Codd. Sur. Gu. chart. et Leid. C. *delectat* Leid. A. B. Ceteri omnes *delectem*, quod scribendum fuit.

8. In aliquot Codd. apud Bossch. *eccum herum,* fortasse recte; vulgata si retinetur, subaudiendum: *est.*

10. *Assimules* Gu. uterq. *adsimules* Sur. In eodem est *quor.*

11. *Lucis das tuendi* Cod. Lang. apud Sciopp.

12. *Quoius* dedi e Cod. Sur.

13. *Faxo venias* unus Gu. membr.

14. *Servos* dedi e Cod. Sur.

15. *Meo te patri* unus Gu. membr.

17. *Redusimus* unus Gu. membr.

Ph. Quín, inquam, intus híc est. *Tyn.* Fecisti édepol et recte ét bene.
Ph. Núnc tibi pater hic ést; hic fur est tuús, qui parvum te ábstulit.
Tyn. 'At nunc grandis grándem natu, ob fúrtum, ad carnuficém dabo.
Ph. Méritus est. *Tyn.* Ergo édepol merito méritam mercedém dabo.
Séd dic oro, páter meus tune és? *He.* Ego is sum, gnáte mi.
Núnc demum in memóriam redeo, quóm mecum recógito;
Núnc edepol demum ín memoriam régredior, audisse me
Quási per nebulam, Hégionem meúm patrem vocárier.
He. 'Ego sum. *Ph.* Compedibús te quaeso ut tíbi sit levior fílius,
Atque hic gravior sérvos. *He.* Cèrtum est príncipium id praevórtier.
Eámus intro, ut árcessatur fáber, ut istas cómpedes
Tíbi adimam, huic dem. *St.* Quoí peculi níhil est, recte féceris.

---

20. Scripsit Bosscha *edepol recte et bene,* non monito lectore. Hanc lectionem inter meos unus tuetur Gu. chart. adversante versu.

22. *Carnuficem* e Cod. Sur. Vulgo: *At ego hunc.* Sed Codd. omnes praeter Gu. chart. *At ego nunc.* Gu. chart. *ego* omittit. Gu. membr. *At nunc ego.*

23. Vulgata cum multis Codd. *Ergo edépol*, quod verum existimo, quum quod meliores Codd. tuentur, tum quod magis iocularem vim habet, si ad Philocratis vocem *meritus est*, cum conclusione respondet Tyndarus: *Ergo meritam mercedem d.* Fortasse tamen melius scribitur: *Méritust. Ego ego édepol merito m. m. d. Merito* deest in Sur. et Bosschae omnibus.

24. Vulgo: *Ego sum, gnate mi,* atque ita Gu. uterq. et omnes apud Bosscham. *Ego is sum* recte scripsit Bossch. aliter enim ultima in *Ego* produceretur, quod vitium seriores poetae admiserunt.

25. Vulgo *cogito*, quod, si versus genuinus, certe ferri nequit, quare scripsi cum Bosscha *recogito*, verbum apud Plautum saepe obvium. *Quom* e Cod. Sur. In Cod. Gu. membr. est: *Nunc demum mecum in memoriam regredior, audivisse me,* duobus his versibus in unum contractis. Sed *mecum* suprascr. et in v. *regredior* rasura est, ita comparata, ut *redeo* antea scriptum fuisse, vel ita librarium scribere voluisse, appareat; quae omnia manum emendatricem produnt. Unum hoc incommodum est, quod vv. *quasi per nebulam* ad vv. *audisse me* coniungenda non satis apte videri possint. Sed si reputes *quasi per nebulam* dici, non *per nebulam*, mitigata translationis audacia v. *quasi,* facile concedas, hos duos versus copulari potuisse a poeta. Evincit geminus locus in Pseud. I, 5, 48. ubi est:

Sunt quae te volumus percontari, quae quasi
Per nebulam nosmet scimus atque audivimus.

Eodem etiam modo similes versus copulatos invenies in Milite III, 1, 4.

27. *Meum patrem.* Sic Gu. chart. quattuor apud Avellin. et duo apud Bosscham Accedunt Edd. Pr. Parm. aliae. Vulgo: *patrem meum.*

28. *Te* desideratur in vulgata et Codd. Gu. membr. Bosschae omnibus, Sur.

29. *Servos* e Cod. Sur. et Gu. membr. Tum *principium* ab adverbio *principio* sic differt, ut adv. *primum* a v. *primo.*

31. *Quoi* e Cod. Sur. Tum in plurimis iisque optimis Codd. est *Caterva.* In aliis *Grex.* In uno apud Avell. *Caterva histrionum. Caterva* sive *Grex* sunt omnes, qui in scena egerant, actores, qui denuo prodibant omnes in fine fabulae, ut plausum exciperent et se populo commendarent. In fine

Caterva.

Spéctatores, ád pudicos móres facta haec fábula est.
Néque in hac subagitátiones súnt, neque ulla amátio,
Néc pueri suppósitio, nec argénti circumdúctio,
Néque ubi amans adoléscens scortum líberet clam suúm patrem.
Húiusmodi paucás poetae réperiunt Comoédias,
Ubi boni melióres fiant. Núnc vos, si vobís placet,
Et, si placuimús, neque odio fúimus, signum hoc míttite:
Quí pudicitiae ésse voltis praémium, plausúm date.

---

tamen Cistellariae de histrionibus tanquam de absentibus loquitur *Grex*, ubi fortasse unus ex actorum numero rursum prodibat, qui spectatores dimitteret et plausum exciperet.

2. Pro v. *subagitationes* in omnibus fere Codd. legitur *subite* vel *subitae cogitationes*. Atque ita etiam edd. vett. usque ad Camerar. Teste Scioppio in Codd. Camerarii et Lang. legitur *subigtioes*, ex quo Cam. recte edidit *subagitationes*. Ambr. apud Avell. *subicogitationes* a prima manu, ab altera item *subitae c.*

3. Vulgo: *Nec argenti c.*, atque ita omnes omnino Codd. et edd. Bosscha dedit *aut*, qui exemplis ostendit, saepe post duas particulas negativas tertio loco subiungi *aut*. Virg. Aen. IV, 339. Horat. Serm. I, 9, 31. Non opus est; *nĕc ărgenti* enunciandum est, ut syllabae — *ó nec ar* — pro dactylo vel trochaeo sint.

4. *Clam suo patre* Codd. Sur. Leid. B. Ceteri omnes cum vulgata: *clam suum patrem*.

8. *Voltis* e Cod. Gu. chart.